



# **De spirituali manducatione corporis Christi et Spirituali potu Sanguinis ipsius in Sacra Coena Domini.**

<https://hdl.handle.net/1874/420708>

*fec*

2.

DE SPIRITVALI

MANDV CATIONE

CORPORIS CHRISTI ET

Spirituali potu Sanguinis

ipsius in Sacra Cœna.

Domini.

*Theologica & Scholastica*

*Tractatio.*

A V C T O R E A N T O N I O

S A D E E L E .



*Excudebat Ioannes Le Preux,*

*M. D. LXXXIX.*

THE LIBRARY

INDICATIONS

OF THE LIBRARY

OF THE LIBRARY

DEPT.

OF THE LIBRARY



OF THE LIBRARY

MELVILLE



# ILLVSTRISSIMO

ET POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, D.

Friderico, Comiti Palatino ad

Rhenum, Duci Bauariæ, &cæt.

Electoratus hæredi, Domino

Suo Clementissimo : Salutem

per Iesum Christum Dominum

nostrum.

**L**LVSTRISSIME  
Et Potentissime Prin-

ceps, Clementissime Do-

mine : Quum Esaias Regum Et

Principum officium varijs simili-

tudinibus adumbraret, ait eos esse

tanquam perfugium, aduersus pro-

Tij.

cellas atque tempestates: & instar  
excelsa rupis cuius umbra latè dif-  
fusa nimios ardores Solis repellat.  
Atque hæc Prophetæ sententia de-  
bet pijs omnibus Principibus iden-  
tidem ante oculos versari: ut eos ad  
obeundum munus præstantissimū  
ipsis à Deo Opt. Max. impositū  
reddat diligentiores. Sic enim fu-  
turum est vt ( quod idem Pro-  
pheta alio in loco dicit ) Principes  
sint Ecclesia nutritij: quippe quā  
asiduis ærummis vexatam suo  
præsidio foueant, & ei varijs im-  
proborum machinis concussa suam  
auctoritatem suffulciant. Et verò,  
non modò hæc etas sed posteritas e-  
tiam ipsa Germanie laudes prædi-  
cabit

cabit, quod postremis hisce temporibus, iisdemq; perturbatissimis, produxerit Illusterrimos ac Præstantissimos Principes, qui Ecclesia Christianæ è tenebris Pontificiis emergenti suam operam verè Christianam, piūmque studium nauarent. Inter quos video Illustrissimam Comitum Palatinorum familiam, tanquam lumen aliquod clarissimum elucere: atq; adeò Uestrā C. quam Dominus ab ineunte etate sibi consecratam donis longe maximis quotidie exornat. Nimirum præclarè cum illis Ecclesiis agitur, quæ suos Principes, à tenebris, ut aiunt, unguiculis, syncero Evangelicæ Veritatis lacte, in ipso

Jij.

quasi pietatis gremio fouent atq;  
alunt : vicissim ( ut ad Esaiam  
redeamus ) ab illis ipsis Principi-  
bus nutritijs , alumnisque susten-  
tanda . Hac ego Illustrissime & Po-  
tentissime Princeps , Vestræ C.  
commemoro , vt eam iam sua spon-  
te satis incitatam adhorter ad con-  
sideranda , & magis magisque  
meditâda summa Dei Opt. Max.  
erga se beneficia , atque hoc im-  
primis , quod eam à teneris annis  
voluerit imbuta esse , tum purio-  
ris Religionis Doctrina , tum præ-  
claris formandorū morum Institu-  
tis . Quia in re , quantū Vestrī Cels.  
Illustrissimo ac Potentissimo Prin-  
cipi Domino D. Ioanni Casimiro  
patruo

patruo, vel potius alteri Paræti de-  
 beat, spero satis eam ( siquidem id  
 satis fieri possit ) agnoscere. Is enim  
 Vestræ C. curam animo verè pater-  
 no ita complexus est, ut nihil eorum  
 prætermiserit quæ sunt ad Optimi  
 & Christiani Principis Institutio-  
 nem necessaria. Idcirco Viros clari-  
 simos & probatissimos conquisuit  
 quibus vestrarum tum pueritiā, tum  
 adolescentiam instituendam tra-  
 deret: quum censeret, summam &  
 omni laude dignissimā Maiorum  
 vestrorum pietatem, probitatemq,  
 per vos etiam posteris esse propa-  
 gandam. Evidem illos existimo  
 scitè & verè loquitos, qui dixerūt:  
 Benè dominari, esse artem artium

Naz. A.  
 polog. i.  
 Chrys.  
 in 2. Co-  
 rint. ho-  
 mil. 15.

Jiij.

Et scientiam scientiarum : quippe  
quum non satis sit , esse Principem,  
nisi Principem agat , hoc est , ea prae-  
stet quæ digna sunt Et nomine Prin-  
cipis , Et dignitate . Ad hanc igitur  
bene dominandi scientiam qui ve-  
stram C. præparent Et forment : Et  
quod caput est , eam excolant pietat-  
is doctrinâ ( quam ego scientiam  
scientiarum appello ) habetis cum  
multos alios Nobiles ac Praestantes  
viros , tum Nobilem Otthonem à  
Grunrad Virum singulari pietate  
atque eruditione : cui de præclaris  
ipsius erga Vestram Cels. laboribus ,  
ipsa posteritas gratulabitur : atque  
etiam de fructibus ex illius semente  
suo tempore percipiendis , gratiam  
habe-

habebit. Quum autem *Vestra C.*  
tū alia omnia Religionis Christi-  
anae capita:tum ipsam de Sacra Do-  
mini Cœna doctrinam ita perspectā  
habeat, ut non ita pridem in magno  
Principum, Nobilium & Theolo-  
gorum confessu, de hoc argumento,  
sanctè & copiose adeoq; supra at-a-  
tē differuerit: ea nos ratio adhorta-  
ta est, ut nostrum hunc Tractatum,  
de Spirituali Manducatione Cor-  
poris Christi, *Vestro nomini dicare*  
*mus.* Neq; id à nobis eo consilio fa-  
ctum est, ut *Vestrā Cels.* edocere-  
*mus:* quippe iam earum rerum qua-  
à nobis exponuntur cognitione in-  
structam cùm ab Ephoris *Vestræ*  
*Celsitudin.* viris clarissimis, tum à

Doctissimis celeberrimisq<sup>z</sup> Theo-  
logis quibus abundat inclita Aca-  
demia Heidelbergensis: Sed tan-  
tum voluimus hac ratione testa-  
tum esse, nos ei doctrinæ subscri-  
bere que Vestra Celsitud. ex Ver-  
bo Dei tradita est, & quam Refor-  
mata ac verè Orthodoxa Ecclesia  
profitetur. Deinde: quum Ecclesia  
Galica plurimum debeant Illu-  
strissimis V. C. Maioribus, atque  
imprimis Illustrissimo ac Poten-  
tissimo Principi ac Domino D.  
Ioanni Casimiro. V. C. Patruo  
(quorum omnium plurima & ma-  
xima erga nostras Ecclesias merita  
extiterunt) volui hoc monimento Ve-  
stra Cels. dicato gratum Ecclesia-  
rum

rum nostrarum animum profiteri.  
Huc accedunt longè maxima Ve-  
strarū Celsitudinum priuatim erga  
me & meos beneficia: non tantum  
quod Vestra Celsit. nos benignissimè  
excipere dignata sint: sed unum  
etiam ex meis liberis (qui planè vo-  
bis est deditus & addicitus) volue-  
rint in Aula vestra inter domesti-  
cos honorificè educari: ac proinde tot  
tantisque beneficiis, nos omnes sibi  
in posterum deuinixerint, perpetuā  
ac summissam obseruantiam, om-  
niāque studia atque obsequia Ve-  
stris Celsitud. præstituros. Peto igi-  
tur à V. C. ut nostrum laborem,  
quantuluscunque est, & hoc meum  
munusculum, tanquam nostra erga

ipsam perpetua obseruantia pignus,  
accipere dignetur atque illud pro  
sua clementia aqui boniqz facere.  
Porro noluimus quicquam praefar-  
ri de huius argumenti quod tracta-  
mus præstantia & fructu: cum e-  
nim ha res Vestra Cels. satis perspe-  
cta sint: tum quadam eò spectantia  
à nobis statim in primo Cap. propo-  
nuntur. Hoc tantum addam: me an-  
te aliquot annos iecisse fundamen-  
tum huiusc Tractationis: quum  
emitterem Theologicam & Scho-  
laisticam Disputationem De Ve-  
ritate Humana natura Iesu Christi:  
quo fundamento nititur præsens  
Disputatio dicata Vestra Cels. de  
Spirituali Corporis Christi man-  
duca-

duscatione: ut intelligamus, quem in  
finem Æternus Dei Filius naturā  
nostram assumpserit, nimirum, ut  
earatione, spiritualis aeternaq; vi-  
ta ab ipso Christo vero Deo & ve-  
ro Homine ad nos dimanaret. Se-  
quitur altera Disputatio de Sa-  
cramentali Manducatione, quam  
offerò Illustriſſ. Principi Mauritio  
Landgrauio Vestræ Cels. Consan-  
guineo. Nā mihi conuenire visum  
est, ut duo illa argumenta arētiſ-  
simè inter se cohærentia, sub duorū  
Principū non modo consanguini-  
tate, sed etiā etate, ingenij præstan-  
tia & pietate coniunctissimorum  
nominibus in lucem prodirent. In  
his autem duobus libellis, ex no-

stra methodo, breuiter & Theologica simul & Scholastica Translatione, ea omnia comprehendere sum conatus, qua de sanctissim. hoc mysterio, Theologi huius etatis celeberrimi copiose & varie disputarunt. Quodquidem meum institutum spero non improbatum iri ab iis omnibus qui sunt Theologica veritatis magis ac magis confirmanda studiosi.

Bene ac feliciter vale Illustrissime & Potentissime Princeps: Deus Optim. Maxim. cuius ineffabili sapientia Reges regnant & Principes dominantur (inquit Solomo) V: Illustriss. Celsitudinem

nem non solum annis augeat: sed  
simul etiam omnibus sui Spiritus  
donis rerumq; omnium felici suc-  
cessu, paterna benedictione locu-  
plete. Itemq; Illustrissimum ac Po-  
tentissimum Vestræ Celsit. Patruū  
atq; adeò alterum Parentem non  
tantum Celsitudini Vestræ: sed etiā  
pijs omnibus Euangelica veritatis  
progressum exoptantibus, saluum,  
felicem, & in columem diutissimè  
conseruare velit.

Ex Musao nostro. Cal. Mart.  
anno Domini M.D.LXXXIX.

Illustriss. Vestræ Celsitudinis  
obseruantissimus.

A. S A D E E L.



**D E S P I R I T U A L I M A N-**

**D V C A T I O N E C O R P O R I S**

Christi & Spirituali potu Sanguinis  
ipius in Sacra Domini Cœna.

**C A P V T . I .**

**S**ANCTISSIMUM dominice Cœnæ mysterium non immeritò bonorum omnium caput Chryso-  
stomus appellavit. Sic enim Dominus In Matth. hom. 83. noster ac Seruator Iesus Christus testatū voluit, se nō tantū sua, verūm etiam seipsum fruendum ijs dare, quos ipse, efficacitate sui Spiritus, tantarum rerum capaces reddit. Nam cùm de sua carne spiritualiter manducanda, & de suo sanguine spiritualiter bibendo, multis grauissimisque verbis differuisset: tandem externum Sacramentum instituit, quo spiritualis manducatio-  
nis, & spiritualis potus, expressa quædam effigies ante oculos proponere.

a.3.

tur, & ( ut aliquando loquutus est Augustinus) ipsa Christi de spirituali educatione & potu verba, quodammodo aspectabilia redderentur. Tanta tamen fuit ( instigante proculdubio Sathan) corruptorum hominum peruersitas, ut clarissimam hanc diuinæ doctrinæ lucem, aut intueri neglexerint, aut conati sint humanis somniis & cōmentis, tanquam offusis tenebris obscurare. Atque ( vt Anabaptistarum furtores, potius quam errores, ab ipsis disputationis Theologicæ cācellis procul arceantur: qui Sacraenta à Christo instituta nihili faciunt, eaque putant esse tantum puerilia quædam rudimenta, Christianis prouectoribus iam inutilia) duo sunt potissimum hominum genera quorū errores à nobis, Theologicis disputationibus, amouendi sunt: vt prestatissimū hoc Sacramentū sincerè ex ipsius Christi instituto tractare, & fructus vberrimos ex eo percipere possimus. Iam enim extorti sunt nonnulli, qui putant sacram Domini Cœnam esse tantum symbolum

lum Christianæ religionis, & commemorationem Mortis Christi, & beneficiorū eius: nec in Cœna Domini ullam esse præsentiam Corporis & Sanguinis ipsius. Alij in contraria hyperbole delapsi, sacris symbolis penitus adhærescunt, & verum ac naturale Christi Corpus & Sanguinē, vel sub specie Panis & Vini, vel in ipso Pane & Vino querendū & percipiendum esse existimant. Aduersus priorem illum errorem nostra hæc instituta est disputatio: ex qua etiā refutabitur eorum calumnia, qui nobis obiectant, quod præsentia Christi ē S. Cœna tollamus, nudis signis contenti. Sequetur alia: in qua posteriorem istum errorē itidem ex Dei verbo redarguemus.

Antequam autem lōgiūs prouehamur: cūm accuratas Tractationes à capite arcessendas esse plerique doctissimi césuerint: peto à Christianis Lectoribus, vt in memoriam reuocent superiorem nostram disputationē, de Veritate Humanæ naturæ Iesu Christi: quod fundamētum fuit à nobis iactū,

4 DE SPIRIT. MANDVCAT.

cùm huius, tūm proximæ sequētis di-  
sputationis. Etenim cùm agatur de mā  
ducanda Christi Carne, & de bibēdo

*Huius Tra-*  
*elatus cū suis*  
*perlori Tra-*  
*ctam, de Vre*  
*ritate huma*  
*næ naturæ*  
*Iesu Christi,*  
*coiunctio.*  
eius Sanguine: ecclui dubium esse pos-  
fit, ita postulante rei natura atque or-  
dine, huic Tractationi, veritatē ipsius  
Carnis & Sanguinis Christi esse sub-  
sternēdā? Initiis igitur ita cōstitutis: ab  
hoc fonte, hoc est à Veritate Carnis  
& Sanguinis Iesu Christi, adeoq; Hu-  
manæ ipsius naturæ, manabūt illa pro-  
pemodum omnia, quæ de Manduca-  
tionetum Spirituali tum Sacramētali  
Theologicè & Scholasticè disser-  
mus.

Nam (vt in rem præsentem venia-  
mus) qui negant in Sacramēto Cœnæ  
Dominicæ Christum ipsum, cum suis  
donis ac beneficiis nobis exhiberi, illi  
non satis perspectam habēt Humanæ  
Christi naturæ veritatem. Num enim  
Æternus Dei Filius propter seipsum  
Humanam naturā assumpsit in vnio-  
nē Personæ? Minimē gentiū: Sed pro-  
pter nos: Assumpsit, inquam, naturam  
nostram ut nos secum omnino cōiun-  
geret,

geret. Nimirum ut spirituali eodēmque  
arctissimo vinculo cū eo deuincti , ex  
ipso vitam hauriamus. Sicut in Adam  
omnes moriuntur (inquit Apostolus) <sup>1. Cor. 15.</sup>  
ita in Christo omnes viuiscabuntur.  
Cedo verò ecquid sit causæ quamob-  
rem in Adamo moriamur. Nōne quia  
stirpis origine cum eo connectimur?  
Quemadmodū ergo mors Adami ad  
nos permanat, quia cum Adamo con-  
iungimur naturali communione: ita  
vita Christi ad nos permanat, quia cū  
Christo coniungimur ὑπερφυσιν & su-  
pernaturali cōmunione: quemadmo-  
dum copiosius in sequentibus erit no-  
bis demonstrandum. Hæc autē oport-  
tuit ex integra disputatione delibari  
ut nostra hac de re sentētia facilius in-  
telligatur.

Iam ergo (ut illud Tertulliani usur-  
pemus) certis quasi lineis quæstionem  
ipsam determinemus: & primū no-  
stram: deinde aduersariorum senten-  
tiā proferamus. Nostra, hoc est, Or-  
thodoxa ac verè Christiana sententia <sup>Orthodoxa  
sententia de  
spirituali  
manducatione.</sup>

## 6 DE SPIRIT. MANDVCAT.

*Domini ex ipsius instituto communicantes, manducant Corpus & bibunt Sanguinem Iesu Christi spiritualiter, efficacitate sancti Spiritus, per fidem, ex sacris symbolis verbum Dei ob signantibus, magis magisque confirmatam: & sunt illius Corporis & Sanguinis, adeoque ipsius Christi Drawpōrtū verè participes, ac proinde eorum omnium bonorum quae Christus sua morte & obedientia nobis comparavit, ad vitam æternam, animique & corporis cumulatissimam felicitatem assequendam. Hanc nostram sententiam paulò fusiūs explicemus, & ex legibus rectè differendi singula eius membra discutiamus.*

*Orthodoxæ  
sententiæ  
Analytica  
explicatio.*

*Subiectum.*

*Subiectū superioris emūtiati est eiusmodi. Verè Christiani S. Cænæ D. ex ipsius instituto & cum vera fide communicantes. Christianos dicimus: ut ab hoc mysterio remoueamus Ethnicos & infideles, cuiusmodi hodie sunt Iudei, Turcæ & quotquot ipsum Christi nomē exosum habent. Verè Christianos dicimus: ne videamur Christū & ipsius dona communicare, vel improbis & apertè sceleratis hominibus, nihilque*

*Chri-*

Christiani, præter Christianum nōmē habētibus, vel hypocritis, qui, licet fidem & pœnitentiam præ se ferāt, sunt tamen, & vera fide, & syncera pœnitentia destituti. Huc etiā spectat quod addimus de communicatione quæ sit cum vera fide: quibus etiam verbis significamus modum & rationem, huiusce communicationis, ne fortè Capernaitarum similes, crassum aliquid in hoc mysterio cogitemus. Denique facimus mentionem instituti Christi: ut sacro sanctum Cœnæ mysteriū, non ex humanis commentis, sed ex Christi præcepto, purè & sanctè celebremus. Atque hęc de subiecto pro ratione huius loci nobis dicta sint.

Attributum est huiusmodi, *Mādu-* *Attributū.*  
*cāt spiritualiter Corpus Christi & bibūt spiritualiter eius Sanguinem, &c.* Huius Attributi membra singula iam expendo.  
 Verbum, *Manducandi*, per similitudinē *De vocabulo*  
*hic usurpatur: non autem in significa-* *Māducandi.*  
*tione propria, quemadmodum voca-*  
*bulū, Spiritualiter, satis indicat. Est igitur adhibēda distinctio inter Corpo-*

## 8 DE SPIRIT. MANDVCAT.

ralem & Spiritualem manducationē.  
 Nec enim magis potest corpus, spiritualiter, quàm animus, corporaliter,  
 manducare. Atque vt, detracta similitudinē veste, rem ipsam, quoad eius  
 fieri potest, nudam cōtemplemur: pri-  
 mūm omnium euoluenda est homonymia vocabuli: quandoquidem qui  
 tradunt artem peritē differendi, recte  
 censem  $\mu\bar{n}\delta\alpha\lambda\epsilon\kappa\tau\acute{\epsilon}\sigma\bar{o}n\tau\acute{a}i\varsigma\mu\bar{e}\pi\phi\sigma\acute{\epsilon}\sigma\bar{i}\varsigma$ . Et  
 Augustinus: Cauendum est, inquit, ne  
 figuratam dictionem ad literam accipiās: ad hoc enim etiam pertinet quod  
 ait Apostolus, litera occidit, spiritus  
 autem vivificat. Quum enim figuratē  
 dictum, sic accipitur, tāquam propriē  
 dictū sit, carnaliter sapitur, &c. Ea de-  
 dum est miserabilis animæ seruitus,  
 signa pro rebus accipere, & supra crea-  
 turam corpoream oculum mentis, ad  
 hauriendum æternum lumen, leuare  
 non posse. Hæc Augustinus. Sed longè  
 grauius est quod Christus ipse de mā-  
 ducanda sua carne ac de bibendo suo  
 sanguine differens. Verba, inquit, que lo-  
 quorvobus, spiritus sunt, & vita sunt. Quin-  
 etiam

De doctri-  
na Christi.  
lib. 3.

Ioan. 5.

etiam in illo ipso loco , sublata vocabuli homonymia , exponuntur ipsa manducandi & bibendi vocabula , dearctissima Christi nobiscum cōmunione: ut perspicuum est ex his verbis : *Qui manducat meam carnem & babit meum sanguinem , in me manet & ego in eo*, inquit Christus. Nimirum quia nullius rei tanta nobiscum est coniunctio , quām cibī & potus sumptū: & nihil æquè nostrum est, atque id quod manducamus & bibimus. Huius igitur similitudinis analogia , est in vita. Cū enim in Christo vitam spiritualem & æternam habeamus , hinc oblata est similitudinis occasio: in qua cibus terrenus , quo vita præsens sustentatur , respondet cibo cœlesti , quo fideles aluntur in vitam æternā. Quæ res proposito Diagrammate facilius elucefcet.

Vita præsens & corporalis.	Vita æterna & spiritualis.
Generamur ad vitam præsentem.	Regeneramur ad vitam æternam.
Vita corporalis cibo & potu sustentatur,	Vitæ spiritualis alimētum Christus est, cum suis donis ac beneficiis.

10 . DE SPIRIT. MANDVCAT.

Alimēta transiunt in cor-  
pus per manducationem  
corporalem.

Corpus habet sūm os,  
quo cibum & possum per-  
cipit.

Vis & facultas naturalis  
concoquit cibum & dige-  
rit, vt alimentum per vni-  
uersum corpus permeat.

Christo arctissimè coniun-  
gimur per manducationē  
spiritualem.

Animus habet suum os,  
ne mpe fidem, qua sanctissimi  
alimentum corporis & lāguinis Christi per-  
cipit.

Efficacitas Spiritus sancti  
fidem in nobis ingenerat,  
ita potenter in animismo  
stris operatur, vt nos viu-  
ficer per Christum nobis  
arctissimè coniunctum.

Ex superiori Diagrammate ita con-  
cludamus. Quemadmodum, vt corpus  
alatur pane & vino, non satis est, panē  
& vinum conspicere, sed omnino in  
ventriculum demittantur necesse est,  
& vnum aliquid nobiscum fiant: (tunc  
enim viuificam panis & vini faculta-  
tem persentimus) Ita etiam, vt anima  
nostra fotieatur in vitam æternam, nō  
satis erit Christū procul intueri, eum  
que leui quadam animi cogitatione  
adumbrare: sed Christus manducan-  
dus est, hoc est, vera fide nobiscum ar-  
ctissimè coniungendus, vt noster fa-  
ctus, viuificam ac spiritualem alendi  
facultatem in animos nostros infun-  
dat

dat. Item : quemadmodum corpora nostra, quandiu adolescimus, non tantum ex alimentis sustentantur , verum etiam inde singula membra percipiunt incrementum sibi conueniens: ita nos spiritualiter cum Christo capite Ecclesiae coniuncti , nutrimentum ex eo atque etiam incrementum accipimus, donec euadamus in virum perfectum, inquit Paulus.

Duo igitur simul consideranda sunt. Unum est, arctissima Christi nobiscum coniunctio. Alterum est, illius arctissimæ coniunctionis effectu. Atque hec duo considerari possunt ut causa *omnis*, siue continens, & effectum ipsius causæ: quæ licet tempore separari non possint, discernuntur tamen ratione.

Porrò, mandationem hanc & hunc potum proximè referimus ad Corpus Christi & ad eius Sanguinem, ex ipsius Christi verbis: non quod, vel Corpus à Sanguine: vel Corpus & Sanguinē, ab anima: vel totam Humanam Christi naturā, ab ipsius Diuina natura diuelamus (quis enim nescit, quod Ioannes

Ioan. i.  
I. Joana. s.De Doct.  
Christ. lib.  
i. cap. 14.Gal. 2.  
I. Timoth. 2  
Rom. 5.

docet apertissimè, τὸν λόγον esse vitam ipsam & scaturiginē illius vitę quæ ad nos per humanam eius naturam dimanat?) Sed Christus hac ratione, voluit suam Mortem nobis ante oculos versari, quasi ad viuum depictā: quandoquidem per eam vita nobis compata est. Nam, ut Augustini verbis vcamur, idcirco natus est Christus, ut homo, homines: mortalis, mortales: morte, mortuos liberaret. Etenim morte Christi peccata nostra expiata sunt, oblatō perfectissimo sacrificio pro nobis. Solet autem in scripturis tota Christi obedientia uno Mortis vocabulo significari. Propterea Paulus ait in celebratione Cœnæ D. mortis Christi memoriam in primis esse recolēdam. Fit autem mētio Corporis & Sanguinis: cibi, videlicet, & potus: ut ita plenum perfectumque nutrimentum spirituale in uno Christo, nec usquam alibi constituamus. Atque hæc de vocabulis, manducandi, & bibendi. Addimus vocabulum, spiritualiter, non quod, spiritualiter, idem sit nobis, ac fictitium, & quod

Quod in sola opinione consistit: nec  
tum id quod est tantum inuisibile:  
nec etiam quod Corpus & Sanguinem  
Christi in spiritu conuertere velimus:  
sed ita loquimur, eò quod manducatio  
carnis Christi & potus sanguinis ipsius  
efficitur operâ Spiritus sancti, & hoc  
mysterium fide percipitur, quam ipse  
Spiritus in animis nostris ingenerat:  
denique quia præstantissimum hoc a-  
limentum pertinet ad vitam spiritua-  
lem & æternam. Manat quidem hoc  
beneficium ad ipsum quoque corpus,  
quippe cum inde mortificetur, sanctifi-  
cetur, & tandem aliquando futurum  
sit particeps beatæ Resurrectionis: sed  
nihilominus manducationem hanc,  
non corporalem esse dicimus, sed spi-  
ritualem: quia mysticum hoc alimen-  
tum, non ad tuendam præsentem vi-  
tam pertinet, sed refertur ad æternam:  
quæquidem vita spiritualis dici solet,  
nō autem corporalis: licet futurum sit  
ut aliquando etiam ipsa corpora vitam  
illam æternam vivant, quæ propterea  
Paulus spiritualia appellauit. Ex qui-  
1. Cor. 15.

bus efficitur, verba Christi de manducâda ipsius Carne, & bibêdo eius Sanguine, intelligenda esse de spirituali eadémque arctissima cōiunctione nostricū Christo, quæ nobis sæpe in Scriptura proponitur, & quam Paulus ait, magnum esse mysterium: ac proinde longè superat Physicas omnes ac naturales coniunctiones. Nam ex vñloquendi Scripturæ, quicquid est mysticū, idē est *ταπεριον* & supernaturale.

*Ephes. 5.*

Quæ cùm ita sint, relinquuntur, vt hęc manducatio, & hic potus, hoc est, spiritualis & mystica Christi nobiscum, & vicissim nostri cum Christo cōiunctio, sit planè incomprehensibilis, & eius modus imperuestigabilis censi debeat. De rebus autem eiusmodi, vt difficillimum est, ad eoq; *αδύτων* planè explicare quid sint: ita facillimū est dicere, quid nō sint. Itaque veritatem huiuscce mysterij credo & adoro: & quid sit arcana illa piorum cum Christo coniunctio nec mēte satis assequi, nec satis possum oratione exprimere: dicam tamē, neque id dubitanter, hāc non

non esse vel crassam, vel corporalem,  
 vel naturalem coiunctionem: ac pro-  
 inde nec crassum, nec corporale, nec  
 naturalem esse huiusce sacræ coniun-  
 ctionis modum. Non scrutabor quod  
 est imperuestigabile: sed quæcunque  
 vel ad rem explicandam, vel ad expli-  
 candum ipsius rei modū proferentur a-  
 liena ab hoc mysterio, ea semper ab  
 hoc mysterio remouebo: utpote quæ  
 derogabūt vel Deitati Christi, vel Hu-  
 manę eius naturę, aut omnino pugna-  
 būt cum ipsius, vel Ecclesiæ, vel Spir-  
 itus sancti, vel Fidei, vel Sacramēti na-  
 tura. Etenim qui res abstrusas & per-  
 difficultes aliter exponere non possunt  
 quam euertendo ea, quorum cognitio  
 lucet ex innumerabilibus scripturæ lo-  
 cis: nō illi, nō scripturæ interpretes, sed  
 depravatores habendi sunt. Sic enim  
 Augustinus: Quisquis, inquit, de qua-  
 cunque re obscura id astruit vnde id  
 quod verissimum, fundatissimum, no-  
 tissimum est, destruat: siue sit ille filius,  
 siue inimicus Ecclesiæ, aut corrigéodus  
 est, aut cauendus. Atque hæc nobis di-

Cont. 2. e.  
lib. 3.

pist. pelag.

Eta sint ad sententiam nostram de hoc mysterio facilius intelligendam, quæ in ipso disputationis cursu copiosius etiamnum tractabuntur. Satis enim fuit leuiter hic, & quasi remis tantum ea propellere, quæ posteà plenis velis nobis erūt explicanda. Iam igitur audiimus Aduersariorum sententiam.

*Aduersario  
rum sententia  
de manduca-  
tione spiri-  
tuale.*      *Cœna Domini est tantum symbolum  
Christianæ Religionis & commemorationis  
Mortis Christi & beneficiorum eius, nec  
in ipsa Cœna Domini vlla est praesentia,  
nec communio Corporis & Sanguinis i-  
psius.*

*Expositio il-  
lius sen-  
tiae.*      Hanc sententiam ita illi exponunt. Scripturā ita agere de Sacrificio Christi semel pro nobis facto: ut nos ad illius Sacrificij fructū reuocet: & quæcūque dicūtur de Corpore & Sanguine Christi, illa esse intelligenda tantum de beneficiis Christi & eius donis. Itaque rem significatā pane & vino, non esse Corpus Christi & eius Sanguinem, sed tantum beneficia & Merita Passionis ipsius. Nec enim existimant fieri posse, ut vlla cum Christi Corpore & Sanguine

Sanguine cōiunctio nobis intercedat,  
 quin sequatur substantiarum cōfusio,  
 quam omnes ab hoc mysterio reiici-  
 mus. Cōtrouēsia igitur hēc est: Vtrūm *status cōn-*  
 in S. Cœna, res per panē & vinū signi-*trouēsiae.*  
 ficatæ & oblatæ, sint Corpus & San-  
 guis Christi, adeoque Christus ipse fi-  
 de participandus cū suis donis ac me-  
 ritis: An verò sola ipsius dona meritá-  
 que significantur, & nobis offerantur,  
 non autem ipse Christus. Prius illud,  
 nos affirmamus: illi verò negant. Po-  
 sterius hoc, illi affirmant, nos nega-  
 mus. Alterutrum igitur verum esse,  
 necesse est: ex primario illo Axioma-  
 te: De quolibet affirmare, aut negare,  
 verum est.

Velim autem Lectores admonitos,  
 quum, ex Veterum & Recentiorum  
 Theologorum sententia, Christus di-  
 catur etiam extra Cœnam D. mandu-  
 cari, nempe in ipso Verbo, nos tamen  
 hīc imprimis agere de illa manduca-  
 tione corporis Christi, hoc est, de spi-  
 rituali & arctissima ipsius Christi no-  
 biscum coniunctione, qua fideles in

b. j.

S. Cœna cum ipso Christo magis magisque deuinciuntur.

## Cap. 11.

Disputatio  
a theodisca  
heretica  
trata.

In Agg.



Vi Christianæ Religionis dogmata Christianè & religiosè tractanda suscep-  
runt, debent hanc egregiā Hieronymi cohortationē semper ante oculos habere propositā.  
Ascendamus (inquit ille, ad propheti-  
cam Aggei concionē alludens) ascen-  
damus in mōtem rationabilem, & ad  
singula problemata, congrua de testi-  
moniis scripturarum ligna quærentes,  
præcidamus ea, & edificemus domum  
sapientiæ. Nos igitur cohortantē Hiero-  
nymum audientes, ex amplissima  
scripturæ sylva feligamus eos locos, in  
quibus imprimis agitur de spirituali  
manducazione corporis Christi, & de  
Spirituali potu sanguinis ipsius, hoc  
est, de Christi nobiscum arctissima, ea-  
démque incomprehensibili coniun-  
ctione. Sic enim non ex leuibus huma-  
næ ratiocinationis stipulis, sed solidis  
scripturæ

Scripturæ lignis, huiuscæ sacri dogma-  
tis veritatem, quasi sapientiæ domum,  
nobis extruemus.

*Annunciamus vobis vitam illam coeter-* Loci scripturae  
*nam quæ erat apud patrem & patescet a de spiri-*  
*tu est nobis. Quod vidimus & audiuiimus, id tuali man-*  
*annuntiamus vobis, ut & vos communionem corporis*  
*habeatis nobiscum, & cōmunionis nostra sit cum Christi, &*  
*Patre & cum Filio eius Iesu Christo.* *de artificiis*  
*ma Christi*  
*nobiscum con-*  
*iunctione.*

*Est autem hoc testimonium quod vitam* i. Cor. 1.  
*eternam nobis dedit Deus, & hæc vita in Filio* i. Ioan. 1.  
*eius est. Qui habet Filium habet vitam: qui* i. Ioan. 5.  
*non habet Filium Dei non habet vitam.*

*Fidelis Deus per quem vocati estis in com-* i. Cor. 1.  
*munionem Filii ipsius, Domini nostri Iesu*  
*Christi. Ergo cōmunionem cum Deo*  
*per Iesum Christum habentes vitam*  
*æternam possidemus.*

*Pater meus dat vobis panem illum verè* Ioan. 6.  
*cælestem. Panis enim ille Dei, is est, qui de cœ*  
*lo descendit & dat vitam mundo. Christus*  
*igitur verus Deus & verus homo, v-*  
*nus idemque θεός πωπος, est panis ille*  
*viuificus, à quo vita æterna ad nos*  
*manat.*

*Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me*  
 b. ij.

non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vñ-  
quam. Sed dixi vobis: etiam vidistis me, nec  
creditis. Murmurabant ergo Iudei de eo quod  
dixerat: Ego sum panis ille qui de cælo desce-  
dit, &c. Ne murmurate inter vos: Nemo po-  
test venire ad me nisi Pater, qui me misit, tra-  
xerit eum, &c. Scriptum est in Prophetis, Et  
erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo au-  
diuit à Patre, & didicit, venit ad me.

Qui credit in me, habet vitam æternam.  
Ego sum panis ille vita. Patres vestri come-  
derunt Manna in deserto, & mortui sunt.  
Hic est panis ille qui è cælo descendit, ut qui  
eo vescitur non moriatur. Ergo Christus  
panis ille cœlestis ac viuificus, ab iis  
manducatur qui sunt verè Christiani,  
& qui vera fide prædicti sunt. Ego sum  
panis viuus qui è cælo descendit, si quis ederit  
ex hoc pane, viuet in æternum, & panis quæ  
ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mu-  
di vita. Vita igitur nostra ab ipso λόγῳ  
scaturiens, per Humanam Christi na-  
turam ad nos diffunditur, in qua no-  
stræ Redemptionis opus peractū est.

Pugnabant ergo Iudei alij aduersus alios  
dicentes, Quomodo potest hic nobis carnē suā-  
dere

dare qua vescamur?

Dixit ergo eis Iesus. Amen, Amen dico vobis, nisi ederitis Carnem Filij hominis & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Qui edit meam Carnem, & biberit meum Sanguinem, habet vitam æternam: & ego excitabo illum in ultimo illo die.

Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verus est potus. Ergo vita æterna, est fructus & effectum certissimum huiusc ece sanctissimæ mandationis.

Qui edit meā Carnem, & biberūt meū Sanguinē, in me manet, & ego in eo. Ergo mandatio Carnis Christi & potus Sanguinis ipsius, est arctissima cum ipso Christo coniunctio.

Sicut misit me viuens pater, & ego viuo per patrem: ita etiam qui ederit me, viuet ipse quoque per me. Ut igitur vitam quæ in Christo est, habeamus, necesse est ut cum ipso Christo arctissimè coniungamur.

Hic est panis ille qui de cælo descendit, non prout comedenterunt patres vestri manna & mortui sunt: qui ederit hunc panem viuet in

æternum. Hoc vos offendit? Quid ergo si con-  
spiceretis Filium hominis ascendentem eà ubi  
erat prius?

Spiritus est qui viuificat. Caro non prodest  
quicquam. Verba quæ loquor vobis spiritus  
sunt & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis  
qui non credunt. Itaque hæc Manduca-  
tio, est Spiritualis, & fit per Fidem, effi-  
cacie Spiritus sancti.

Hanc autem sanctissimam & salu-  
tarem doctrinam Christus exprimere  
& obsignare voluit, in instituto S. Cœnae  
Sacramento, commemorante Paulo  
in priore Epist. ad Corinth. II. Dominū  
Iesum accepisse panem & gratiis aëris,  
fregisse ac dixisse, Accipite, edite: hoc meū  
est corpus quod pro vobis frangitur. hoc facite  
ad mei recordationem. Itidem & poculum  
postquam cœnasset, dicēdo. Hoc poculum est.  
Nouū illud Testamentū per meū sanguinem,  
hoc facite quotiescumque biberitis ad mei re-  
cordationem. Quotiescumque enim ederitis  
panem hunc & poculum hoc biberitis, morte  
Domini annuntiatis usquequo venerit. Er-  
go Panis & Vinū sunt sacra symbola  
& signa Corporis & Sanguinis Christi.

Poch.

Poculum benedictionis cui benedicimus, <sup>1. Cor. 10.</sup>  
 nonne communio Sanguinis Christi est? Pa-  
 nis quem frangimus nonne communio Cor- <sup>1. Cor. 12.</sup>  
 poris Christi est? Quoniam unus panis, u-  
 num corpus multi sumus. Nam omnes unius  
 panis sumus participes.

Omnes in unum spiritum potati sumus.  
 Nobis igitur esse debet cū ipso Corpo-  
 re & cū ipso Sanguine Iesu Christi ve-  
 ra cōmunio, ut sumus beneficiorū Chri-  
 sti participes. Atq; huius sāctissimi my-  
 sterij Veteres sub Lege fuerūt partici-  
 pes, ut docet idē Apostolus his verbis.

Nolim vos ignorare fratres, Patres nostros <sup>1. Cor. 10.</sup>  
 sub illa nube fuisse, & omnes eandē escā spiri-  
 tualē edisse, & omnes eundē potū spiritualem  
 bibisse: bibebant enim ex sequente spirituali  
 petra. Petra verò erat Christus. Hæc igitur  
 māducatio spiritualis est. Porrò nostra  
 cum Christo Coniunctio sēpe traditur  
 in Scriptura, & variis similitudinibus  
 illustratur, ut ex sequentibus appareat.

Vt sint unū, sicut & nos unū sumus. Ego <sup>Ioan. 17..</sup>  
 in eis, & tu in me, ut sint perfecti in unum.

In illo die cognoscetis me esse in Patre <sup>Ioan. 14.</sup>  
 meo, & vos in me, & me in vobis. Quare,

arctissimè cum Christo ipso coniungi-  
mur, ut perfectam inter nos commu-  
nionem habeamus.

*1. Cor. 6.* *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.*  
Hæc igitur coniunctio cum Christo  
est spiritualis.

*Gal. 2.* *Vivit in me Christus, & vitam quā nunc  
vivio in carne, vivo per fidem filij Dei.*

Itaque ex arctissima nostri cū Chri-  
sto coiunctione vita ad nos dimanat;  
idque per fidem.

*Ioan. 3.* *Deus ita dilexit mundum ut Filiū suum  
unigenitum dederit, ut quisquis credit in eū  
non pereat, sed habeat vitam eternam.*

*Esa. 9.* *Filius datus est nobis.*

*Heb. 3.* *Christi participes sumus, si modo princi-  
pium quo sustentamur, firmum tenuerimus  
ad finem usque. Ergo Christum nobis  
datum recipere & eius participes esse  
debemus.*

*Rom. 8.* *Si quis Spiritum Christi non habet, is non  
est eius: Si vero Christus in vobis est, corpus  
quidem mortuum est propter peccatum. Spi-  
ritus autem vita est, propter iustitiam. Ergo  
cū Christo coniungimur spiritualiter,  
virtute & efficacia Spiritus sancti.*

*Confin.*

Constituit eum caput super omnia ipsi Ecclesiae, quae est corpus ipsius & complemetum eius qui omnia implet in omnibus. Similitudo Capitis. Eph.1.

An ignoratis corpora vestra esse membra Christi? 1. Cor.6.

Vos estis Corpus Christi & membra ex parte. 1. Cor.12.

Adolescamus in eum per omnia qui est caput, nempe Christus, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura uniuscuiusque membra, incrementum capit corpori conueniens, &c. Eph.4.

Christus caput est Ecclesia & seruator corporis, &c. Eph.5.

Nullus suam ipsius carnem unquam odio habuit, immo enutrit ac fouet eam, sicut Dominus Ecclesiam: quoniam membra sumus Corporis eius, ex carne eius, ex ossibus eius.

Et ipse est Caput corporis Ecclesiae, &c. Pro corpore ipsius quod est Ecclesia. Col.1.

Neque obtinens Caput, ex quo totum corpus, per commissuras & compages suppeditatum & compactum augescit Dei augmento. Col.2.

Ex hac similitudine capitis & reli-

quorum membrorum, efficitur, neccesse esse, ut arctissimè cum Christo coniungamur, vt ab eo vita spiritualis ad nos diffundatur. Etenim ea demum ratione corpus à capite viuificatur, quatenus arctissimè cum ipso capite coheret.

*Similitudo  
coniugii.  
Eph. 5.*

*Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita &  
uxores suis viris. Diligite uxores vestras, si-  
cut Christus dilexit Ecclesiam.*

*2. Cor. 11.*

*Præparauit vos quos vni viro, ut virginem  
puram fistam, nempe Christo.*

*Ioan. 3.  
Matth. 9.*

*Qui habet sponsam, sponsus est, &c. Fili  
thalami possunt nè lugere, quādiu cum ipsis  
sponsus est.*

*Apoc. 21.*

*Vidi Hierusalem nouam descendentem à  
Deo è cælo paratam vt sponsam ornatam viro  
suo. Ostendam tibi sponsam uxorem Agni.*

*Gal. 4.*

*Sublimis illa Hierusalem libera est, qua  
est mater omnium nostrum.*

*Rom. 7.*

*Mulier viuenti viro deuincta est per le-  
gem, &c. Mortificati estis legi per Corpus  
Christi: vt sitis alterius; eius videlicet qui  
ex mortuis excitatus est, vt fructum fera-  
mus Deo.*

*Ose. 2.*

*Disspōsabo te mihi in sempiternum in iu-  
stitia*

*stitia & iudicio, &c.*

*A stat coniunx ad dexteram tuam ornata  
auro obrizo, &c. Veni de Libano spōsa mea,  
&c. & totum illud Canticum.*

Psal. 45.

Cant. 4.

Ex hac Spōsi & Sponsæ similitudine  
perspicuū est, eos demū frui donis ac  
beneficiis Christi, qui cum ipso Chri-  
sto arctissimè cōiuncti sunt. Nec enim  
dignitatiæ sponsi, sunt ipse sponsus.

*Erunt duo in carnem unam. Mysterium  
hoc magnum est. loquor autem de Christo &  
Ecclesia. Ergo comiunctio nostri cum  
Christo, est mystica & incomprehen-  
sibilis.*

*Ego sum vitis vera & Pater meus agri-  
cola est, omnem palmitem in me non ferent  
tem fructum tollit, & omnem qui fert fru-  
ctum purgat, ut plus fructus afferat, &c.*

*Manete in me & ego in vobis. Sicut pal-  
mes non potest ferre fructum à semetipso, nisi  
manserit in vite: ita nec vos nisi in me mā-  
seritis.*

*Ego sum vitis, vos palmites. Is qui ma-  
net in me & in quo ego maneo, hic fert fru-  
ctum multum. nam absque me nihil po-  
testis facere, &c. Si manseritis in me,*

Similit. ex  
stiribus &  
plantis.

Ioan. 15.

28 DE SPIRIT. MANDVCAT.

¶ verba mea in vobis manserint, quicquid  
volueritis petite, & fiet vobis.

Col.2.

Sicut accepistis Christum Dominum, ita in  
eo incedite radicati.

Rom.6.

Si cum eo plantati coaluimus conformatio-  
ne Mortis eius, nimirum etiam Resurrectio-  
nis conformatio[n]e coalescemus.

Ex superioribus similitudinibus que  
à plantis ducuntur, liquidò cōstat, ne-  
cessariam esse arctissimam nostri cum  
Christo coniunctionem, ut eius bene-  
ficiis, adeóque vita spirituali frui possi-  
mus. Nec enim palmes potest ferre  
fructum, nisi manserit in vite, inquit  
ipse Christus. Cæterū quantum lu-  
cis hic locus afferat ad intelligendam  
manducationem Corporis Christi, fa-  
cile videbimus, si cōferamus hæc ver-  
ba: *Manete in me & ego in vobis: cum su-  
perioribus illis. Qui manducat meam Car-  
nem & bibit meum Sanguinem in me manet,  
& ego in eo.*

Similit. ha-  
bitationis.

2. Cor.6.

1. Cor.3.

*Vos templum estis Dei viuentis: sicut di-  
xit Deus, habitabo in eis, &c.*

*An nescitis vos esse templum Dei, & spi-  
ritum Dei habitare in vobis?*

Ad

*Ad quem accedētes, qui est lapis viuus, ipsi  
quoque uti viui lapides, adificemini domus  
spiritualis.*

*Superstructi super fundamentum Aposto-  
lorum & Prophetarum, cuius imus angularis  
lapis est ipse Iesus Christus: in quo totum æ-  
dificium congruenter coagmentatum crescit,  
ut sit templum sanctum Domino. In quo &  
vos unā adificamini, ut sitis habitaculum Dei  
per Spiritum.*

*In Christo incedite superstructi in eo.* Col. 2.  
*Dei adificatio estis, &c.*

*Fundamentum nemo aliud ponere potest  
præter id quod positum est, quod est Christus  
Iesus.* 1. Cor. 3.

*Quomodo oporteat versari in domo Dei,  
qua est Ecclesia Dei viui, columna & firma-  
mentum veritatis.* 1. Timoth. 3.

*Christus, ut Filius, domini sue præest, cuius  
domus sumus nos, si fiduciam & spem de qua  
gloriamur, ad finem usque firmā tenuerimus.* Heb. 3.

*Per hoc cognoscimus nos in eo manere, &  
ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit.  
nobis.* 1. Joan. 4.

*Vt inhabitet Christus per fidem in cordi-  
bus vestris.* Eph. 3.

## 30 DE SPIRIT. MANDVCAT.

2. Cor. 13. *Vos ipsos tentate anno non sitis in Fide, vos ipsos probate.*

1. Ioan. 3. *Annon agnoscitis vos met ipsos quod Iesus Christus in vobis est?*

*Per hoc nouimus Christum habitare in nobis, nempe ex spiritu quem nobis dedit.*

Rom. 8. *Viuificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum eius in vobis.*

Ex hisce similitudinibus ab ædificio & inhabitandi ratione ductis, Apostoli docuerunt: nos tunc demum esse beneficiorum Christi participes, quum Christo, tanquam fundamento nitimur, & Christus ipse in nobis habitat: hoc est, nobiscum arctissime coniungitur. Tunc enim firmum est ædificium, quando fundamento nititur: à quo si vel tantulum diuellatur, tandem corruat necesse est. Porro, per spicum est ex superioribus locis, hanc Christi habitationem in nobis, sive Coniunctionē Christi nobiscum, sive Spiritualem: quippe cum fiat per Fidem, efficacitate Spiritus sancti. Ad hunc etiam modum inducendi erunt alij Scripturæ loci, quotquot nobis occurrent

current superioribus locis consimiles. Ex his igitur locis Scripturæ clarissimis, certissimis, firmissimis nostram <sup>διπόθεξην</sup> evidentem & necessariam adeoque verissimam, ac proinde verè Theologicam conficiamus.

## ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ.

**Q** Vicunque per verbum Dei & <sup>Demonstra-</sup> Sacra <sup>tio collecta</sup> menta Euangelica mysti- <sup>ex superiori</sup> co & arctissimo vinculo cum Chri- <sup>bus Scri-</sup> sto coniunguntur, qui semetipsum <sup>ptura locis:</sup> obtulit pro nobis, qui est panis cœle-  
stis ac viuificus, caput & sponsus Ec-  
clesiæ, & ex quo tanquam ex radice,  
vitam spiritualem haurimus, & qui  
per Spiritum sanctum & per fidem  
habitat in cordibus nostris: Ii mandu-  
cant Corpus & bibunt Sanguinem Ie-  
su Christi spiritualiter, efficacitate S.  
Spiritus, per fidem ex sacris Symbolis  
verbum Dei obsignantibus magis ma-  
gisq; confirmatā, & sunt illius Corpo-  
ris & Sanguinis ad eoq; ipsius Christi

*Oecav. Spōrt8* verè participes, ac proinde eorum omnium bonorum quæ Christus sua Morte & Obedientia nobis comparauit, ad vitam æternam, animiq; & corporis cumulatissimam fœlicitatem assequendam.

Omnes verè Christiani S. Cœnæ Domini ex ipsius instituto communicantes, per verbum Dei, & Sacramenta Euangelica, mystico & arctissimo vinculo cum Christo coniunguntur, qui semetipsū obtulit pro nobis, &c.

Quare omnes verè Christiani S. Cœnæ Domini ex ipsius Instituto communicantes, māducant Corpus & bibunt Sanguinem Iesu Christi spiritualliter, efficacitate S. Spiritus, per fidem ex Sacris Symbolis, verbum Dei ob-signantibus, magis magisque confirmata: & sunt illius Corporis & Sanguinis, adeoque ipsius Christi *Oecav. Spōrt8* verè participes, ac proinde eorū omnium bonoru quæ Christus nobis sua Morte & Obedientia comparauit, ad vitam æternam, animique & corporis cumulatissimam fœlicitatē assequendam

dam. Id quod erat demonstrandum.

Huiusce Demonstrationis veritas e-  
lucescet ex superioribus Scripturæ lo-  
cis, ipsi Demonstrationi substratis: &  
continet veram definitionem Attri-  
buti, collectam ex eius causis, quas illi  
ipsi Scripturæ loci nobis suppeditarūt.  
Atque in ea ex demonstrandi legibus  
omnia sunt reciproca:ita ut de verita-  
te ipsius dubitari non possit, quin ipsa,  
tum Theologica, tū Scholastica fun-  
damenta conuellantur. Etenim, si quis  
huiusce Demonstrationis partes om-  
nes accurate dispiciat, nihil reperiet  
absurdum, nihil repugnans, nihil a-  
lienum: sed omnia consentanea & ea-  
rum rerum de quibus agitur naturis  
conuenientia. Exempli causa: hęc sunt  
quibus potissimum nostra Demon-  
stratio continetur,

1. Christus Θεός ὁ πωπός, verus Deus  
& verus Homo, Mediator, Pontifex,  
caput & Sponsus Ecclesiæ, cum suis  
donis, Meritis ac beneficiis.

2. Ecclesia Corpus & sponsa Chri-  
sti, cum ipso magis magisque con-

c.j.

34 DE SPIRIT. MANDVCAT.  
iungenda, ut eius donis ac meritis per-  
fruatur.

3. Spiritus Sanctus efficaciter ope-  
rās in animis nostris, & nos cum Christo  
spiritualiter & arctissimè coniun-  
gens.

4. Fides in nobis à Spiritu Sancto  
ingenita, ut sit vinculum huius spiri-  
tualis coniunctionis.

5. Sacramentum Cœnæ Domini,  
ad confirmandam & augendam fidem,  
ab ipso Christo institutum.

Hæ partes sigillatim earumque na-  
turæ expendantur, & cum iis nostra  
conferatur sententia: Certè nihil in ea  
existet quod cum illis omnibus non  
planè consentiat.

1. Agnoscimus Deitatem Christi:  
quum hoc mysterium longè supra na-  
turæ fines & supra rerum creatarum  
ordinem constituimus, atque ipsum  
Christum æternæ vitæ scaturiginem  
esse declaramus. Agnoscimus etiam  
Humanæ Christi naturæ veritatem:  
dum non infinitam, aut diffusam, aut  
in

incircumscrip<sup>t</sup>am aut sub vanis accidentibus latitantem; sed eam tantum in cœlo contemplamur præditam dimensionibus & qualitatibus corporis gloriose: duas in una Persona naturas neque separantes, neque confundentes.

2. Agnoscimus veram Ecclesiam naturam: quum eam dicimus esse cum Christo vera fide, arctissime & spiritualiter coniungendam, ut ab eo vitam hauriat.

3. Agnoscimus Spiritum Sanctum sanctissimæ huius & mysticæ coniunctionis efficientem & ~~et~~ regens, quale Scriptura nobis describit.

4. Agnoscimus veram vim fidei: cum eam nullis, vel locorum vel temporum spatiis, interclusam esse dicimus.

5. Agnoscimus veram Sacramenti naturam & verum eius usum: quum sacra Signa à Christo instituta pluri-

mi facimus: neque tamen in illis subsistimus, sed ad res Significatas vera si-de assurgimus.

*Quomodo sententiae quae circumferuntur de Cœna Domini finitimi exploranda, ut verum à falso facile distingui possint?*

His itaq; discussis affirmamus, sententiā nostrā niti firmissimo veritatis fundamento. Peto igitur à Christianis Lectoribus, per ipsius Christi nomen, de cuius sanctissimo mysterio hīc agitur, ut ad hunc modum expendant & exponant omnes sententias quæ de S. Domini Cœna circumferuntur: & cōfido fore, vt adhibito hoc verè lydiolapide, facile, suā dñe, verum à falso diudicent.

Sed iam ex ordine ac methodo nostrę disputationis, posteaquam veritatem nostrę sententię & ( vt ad Hieronymum redeamus ) sapientię domum certissimis fundamētis subnixam, nobis extruximus, diruendus est error oppositus huius Christiani dogmatis veritati.

## CAPUT III.

**S**CITVM est quod aliquā-  
do dixit Athanasius: De-  
pulsis mendaciis, verita-  
tem magis magisque re-  
lucere. Ut ergo superioris  
Demonstrationis veritas magis relu-  
ceat, operæ pretium est ea mēdacia de-  
pellere, quæ sententiæ à nobis ex Dei  
verbo propositæ aduersantur: præser-  
tim cum ad asserendam veritatis co-  
gnitionem, Prima Philosophia impri-  
mis commendet ἐλεγκτικῶς διπλὸν εἶχα.

Proferamus igitur argumenta no-  
stræ ἀναγνοσικῆς & ἐλεγκτικῆς Dispu-  
tationis.

## ARGUMENTVM. I.

**O**MNE dogma quo negatur id  
quod Scriptura affirmat, & id  
excluditur quod Scriptura includit, est  
*ἱρεῖς οὐδὲ θυσίας*, ac proinde ab Ecclesia ex-  
terminandum.

Hoc dogmate, quod est huiusmodi:

c. iij.

Cœnam Domini esse tantum symbolum Christianæ Religionis & cōmemorationem ac signaculum Mortis Christi & beneficiorum eius, nec in eam illam esse communionem Corporis & Sanguinis ipsius. Hoc, inquam, dogmate negatur id quod Scriptura affimat: & id excluditur quod Scriptura includit.

Hoc igitur dogma est ἐπεργόθεον, ac proinde ab Ecclesia exterminandum.

*Confirmatio syllogismi.* Maior propositio est perspicua: quia Scriptura est mensura nostræ fidei, ac propterea est μέτρον nostræ, vel affirmationis, vel negationis. Id quod repugnat Scripturæ (inquit Augustinus) verum esse non potest.

*De q. Dulcit. quest.* Minor propositio ita probatur. Certum est, Scripturā verbis expressis affirmare, in S. Domini Cœna esse communionem Corporis & Sanguinis ipsius. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio Sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne cōmunio Corporis

*poris Christi est: Accipite & manducate: hoc  
est corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc.22.

Adde quæ Christus de re ipsa Sacra-  
menti ac de toto hoc mysterio disse-  
ruit.

*Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus  
verè est potus. Qui māducat meam Carnem,  
& bibit meum Sanguinem in me manet, &  
ego in eo. Et plerique loci cōsimiles an-  
tē iam à nobis inducti, in quibus agi-  
tur de arctissima Christi nobiscum cō-  
unctione.* Ioan.6.

Quòd si quis fortè nobis occurrat *objec̄tio*,  
hac ratione, quòd in permultis Scri-  
pturæ locis à nobis suprà commemo-  
ratis, non fiat mentio nominatim  
de Sacramento Cœnæ Domini: il-  
le non nostram euertet, sed magis ac  
magis confirmabit sententiam. Et *Responſio*,  
enim si, quum ego vera fide promis-  
siones Euangelicas amplector, tūm  
sio particeps Iesu Christi *Θεοῦ*.  
(Sic enim Apostolus de doctrina E-  
vangelij differens: *Christi participes facti  
sumus, si modo principium illud quo sustenta-*  
Heb.3.  
c. iiij.

*mur firmum tenuerimus). Si, inquam, per illam ipsam fidem habeo veram communionem cum eo, &, ut corpus capit, sponsa sponso, palmes viti, surculustrunco, ita ego, atque etiamnum longè melius & arctius, cum Christo cohæreo: quippe cùm in me maneat, & ego in illo: (quorum omniū firmissima testimonia iam audivimus in superiori proximo capite.) Obscero te, si extra Sacramentum id potest fides, operante Spiritu sancto: quantò id magis poterit, quū ad prædicationē verbi & ad Euangeliū promissiones accedent Sacra symbola ab ipso Christo in eum finem instituta, ut ipse etiam promissiones efficacius in animis nostris fanciantur? Quid? Paulus tūm etiam quū nō versaretur in Sacra Cœnæ Dominicæ actione, potuit verissimè ita exclamare: *Vivo autem, non amplius ego, sed viuit in me Christus.* Item: *Membra sumus Corporis eius, ex carne eius & ex ossibus eius.* Item: *Erunt duo in carnem unam: Mysterium hoc magnum est, loquor autē de Christo & de Ecclesiā: & accedente Sacramē-**

Gal.2.

Eph.5.

to,

to, scilicet, obmutesceret? Aut igitur negēt planè vllam esse Christi nobiscum communionem necesse est, (atq; ita negabūt quod Scriptura verbis dilucidis & expressis affirmat) aut fateātur, illam ipsam communionem fieri cum fidelibus arctissimam in sanctissimo Cœnæ Domini Sacramēto. Atque ita esse, rebus necessariis addicemus, proposito hoc Syllogismo.

Vbicunq; amplior est & maior tūm promissionum Euangelicarum exhibito, tū fides promissiones ipsas amplectens: ibi quoq; est amplius & maius effectum utriusque. (id quod patet ex ipsis naturalibus principiis.)

In sacra Domini Cœna (siquidē ea sincerè & legitimè vtamur) amplior ac maior est tūm promissionum Euāgelicarū exhibitio, tūm fides promissiones ipsas amplectens. (Quia ad prædicationem accedunt sacra symbola à Christo propterea instituta, vt fides nostra confirmetur & promissiones Euangelij magis magisque per fidem in animis

animis nostris sanciantur; & illi ipsi agnoscunt, Sacra symbola esse signacula: quæ frustra à Christo adhibita fuissent, absit ut dicant.)

Quare, in Sacra Domini Cœna, amplius est ac majus effectum utriusque, videlicet exhibitionis promissionum Euangelicatum, & fidei, promissiones ipsas amplectentis.

Iam autem à nobis demonstratum est, hoc esse effectum utriusque, nempe ut spiritualiter & mysticè atq; adeò arctissimè cū Christo Θεον θρόνῳ vero Deo ac vero Homine coniungamus.

Porrò, ut magis appareat, quām istorum opinio diffentiat à Scriptura, nusquam reperias in Sacris literis. Mortuus Christi esse manducandam, sed Corpus ipsius, adeoque Christum ipsum esse manducandum: ut constat ex his locis: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ego sum panis vite: si quis ederit ex hoc pane vivet in eternum. Qui ederit me, vivet per me, &c.* Neque id sanè immerito. Nam (ut in similitudine manducandi maneamus) nemo sat

tis recte dixerit, vim alcendi quæ est in  
pane sine ipso pane à nobis percipi,  
ut vita hæc nostra sustentetur : Simili-  
ter, Passio Christi, eiusq; beneficia &  
vis illa viuifica quæ animas nostras in  
vitâ æternâ sustentat, nō potest à Cor-  
pore & Sanguine Christi, adeoque ab  
ipso Christo diuelli. Etenim oblatio  
Corporis, sine Corpore oblato : effusio  
Sanguinis, sine Sanguine effuso : & Passio  
Christi sine Christo paciente, ne intel-  
ligi quidem possunt. Denique atten-  
damus ad præstantissimam hanc Ioan-  
nis sententiam.

*Vitam aeternam dedit nobis Deus, & hæc  
vita in Filio eius est: Qui habet Filium, ha-  
bet vitam: qui non habet Filium, vitam non  
habet.*

1.Ioan.5.

Horum verborum ordo imprimis  
spectandus est. Primum enim dicit,  
vitam nostram manare à Deo : quip-  
pe solo viuente ac vitæ authore, & a-  
pud quem est fons vitæ (inquit Psal-  
tes.) Deinde affirmat, vitam illam es-  
se in Filio : nempe quia Iesus Chri-  
stus Θεοῦ πατέρος, Mediator Dei & ho-

Psal.36.

minum illa omnia præstítit quæ nobis  
erant ad vitam æternā necessaria. Po-  
stremò, ut simus eterne vita participes,  
ait oportere omnino, ut Christū ipsum  
habeamus, in quo vita est. Sic, quanvis  
aqua infra securiens puteum impletat:  
tamē ad puteum nobis accedendū est,  
ut aquam hauriamus. Cùm autem isti  
Corporis & Sanguinis Christi cōmu-  
nione excludant, sola cōmemoratio-  
ne Mortis Christi, & eius adumbrata  
quadam imagine contenti: certè (ut ad  
nostrī Syllogismi complexionem re-  
deamus) sequitur, ipsorum dogma esse  
irrégiblē, ac proinde ab Ecclesia ex-  
terminandum: quippe quo negatur id  
quod Scriptura sanctissimè affimat: &  
id excluditur, quod Scriptura verbis  
clarissimis includit. Quanquam verò  
nostrum hoc argumentum totā que-  
stionem satis definit: subiiciemus ca-  
men aliquot alia argumenta ab huius  
foste promanantia, & petita ex supe-  
rioribus Scripturæ locis, ut istorū erro-  
res ante omnium oculos facilius pro-  
ponantur.

## AGVMEN T V M. II.

**Q**ui in S. Domini Cœna non res easdē per sacra symbola significatas cōstituunt, quas ipse Christus proposuit: illi sunt in sanctissimum hoc mysterium, atque adeò in ipsum Christum contumeliosi.

**Q**ui negant in S. Cœna ullam fieri communionem Corporis & sanguinis Christi, illi non res easdem per sacra symbola significatas constituunt, quas ipse Christus proposuit.

**Q**uare qui negant in S. Cœna ullam fieri communionem Corporis & sanguinis Christi, sunt in sanctissimū hoc mysterium, atque adeò in ipsum Christum contumeliosi.

**M**aior propositio lucet ipsa per se. Christus enim is est qui Sacramen-<sup>Confirmatio</sup>  
tum instituit, ut pote summus ille Pro-<sup>Syllogismi.</sup>  
pheta, Legislator, & Rex Ecclesiaz,  
cuius solius est, & Signa & res signis i-

plis significatas proponere. Vtrunque  
 In Synop. igitur ex ipsius verbo petendum est,  
 quod quidem non sine causa, fidei no-  
 strę anchoram Athanasius appellauit.  
 Minorem propositionem sic proba-  
 mus. Quum Christus Sacramentum  
 Matth. 26. hoc institueret: *Acceptit panem* (inquit  
*Matthaeus) & cum benedixisset, fregit, de-*  
*ditque discipulis, & ait Accipite, comedite;*  
*hoc est Corpus meum: & accepto poculo &*  
*gratiis actis, dedit eis dicens: Bibite ex eo om-*  
*nés: Hoc est enim sanguis meus Noni testa-*  
*menti, qui pro multis effunditur, in remissio-*  
*nem peccatorum. Hinc perspicuum est, Pa-*  
*nem esse signum Corporis, & Vinum*  
*Sanguinis. Atenim isti volunt panem*  
*& vinum esse tantum signa siue signa-*  
*cula Mortis Christi & beneficiorum*  
*eius, ita ut nulla sit nobis cum carne*  
*Christi & cum eius Sanguine com-*  
*munio. Ex quo fit, siquidem audiatur,*  
*ut res significata per panem, non sit*  
*Corpus Christi: & res per vinum signi-*  
*ficata, non sit eius Sanguis. Nam, si*  
*propriè loquimur, Mors Christi & eius*  
*beneficia non sunt, vel Corpus Christi,*  
*vel*

vel Sanguis eius , vel ipse Christus. Quemadmodum igitur panis est signū Corporis, ita donatio panis, est signum Donationis corporis. Sic enim Christus: *Accipite & manducate.* Ergo necesse est à fidelibus recipiatur & manducetur Corpus Christi: nempe (ut à nobis in primo capite expositum est) Spiritualiter & per fidem, efficacitate sancti Spiritus. Hoc verò illud est quod dicimus , nos arctissimè cum Corpore & Sanguine Christi, adeoque cum ipso Christo coniungi, ut eius meritis asserquamur vitam quam Christus in natura nostra, oblato in cruce sacrificio, nobis comparauit. Non separamus beneficia Christi ab ipso Christo, & vicissim , Christum ipsum à suis meritis ac beneficiis separandum non esse contendimus.

## ARGUMENTVM III.

**S**I in S. Cœna Domini nulla est Corporis & Sanguinis ipsius communionis, sequeretur, hanc Christi comparationē staret non posse, (quod absit.)

*Ioan. 6.* Sicut me misit viuens Pater, & ego viuo per Patrem: ita qui ederit me viuet quoque ipse per me. Consequens est falsum. Igitur & Antecedens.

Consequentia patet. Certum est enim Christum viuere per Patrem propter summam ipsius cum Patre cōiunctionem: & (siquidem diuinam speciem spectes) identitatem. Ut ergo maneat vis cōparationis, quoad eius fieri potest, & quatenus fert nostra conditio: necesse est viuamus per Christū cum ipso Christo arctissimè coniuncti.

## ARGUMENTVM IIII.

**S**i in Sacra Domini Cœna nulla est Corporis & Sanguinis ipsius communio: sequeretur, viuificam Christi virtutem ab ipso Christo, vel Christū à suo Corpore & Sanguine posse diuelli. Consequens est falsum. Ergo & Antecedens.

*Probatio.* Cōsequentia patet. Isti volūt beneficia Christi obsignari factis signis in Cœna

Cœna Domini propositis, ac proinde nobis offerri viuificā ipsius Christi virtutē quæ nos in vitā æternā sustentet. hoc est enim summum eius erga nos beneficium. Atqui vis illa viuifica diuelleretur à Christo, si cum illa cōmunionem habētes, nullam haberemus cum ipso Christo cōmunionem. Rursum si communionem cum Christo haberemus, nec illa nobis cum Corpore eius & Sanguine communio intercederet, profectò Christus à suo Corpo te & sanguine diuelleretur. Vtrumque absurdissimum. Absurdissima igitur est istorum sententia.

## ARGUMENTVM V.

**S**i vera est istorum opinio: ergo tollitur Analogia Sacramenti: quod tamen sine Analogia stare non potest: alioquin esset Sacramētum sine Sacramento: ut cuius manifestum esse potest, ex ipsius Sacramenti definitione. Cōsequentia patet. Sic dicit Christus, Panem discipulis porrígens: *Acipite*  
*d. j.*

*manducate.* Ergo Analogia est in manduca<sup>tione</sup>: quæ proculdubio significat arctissimam cōiunctionem, ut ante diximus. At qui ut vim alendi quæ est in pane percipiamus, panem ipsum percipiamus necesse est. Ex quo efficiatur (ita distante Analogia Sacramenti) nos esse arctissime cum Corpore & Sanguine Iesu Christi, adeoque cum ipso Christo coniungendos, ut vim & efficientiam eius salutarem atque vivificam sentiamus. Atenim isti perinde faciunt ut si quis dicat, etiam non sumpto pane, vim panis ad alendum corpus sumi posse.

## ARGUMENTVM VI.

**S**i vera esset istorum opinio: sequetur, causam cōtinentem ab effigie suo posse re ipsa separari. *ad vivator.*

Consequentia patet. *Nisi quis in me manserit, ejectus extra statim, ut palmes, arescit:* inquit Christus. *Itē: Qui habet Filium, habet vitam: qui nō habet Filium, vitam non habet.* Item: *hac vita in Filio eius est.* Vnde colligitur, Christum esse causam

*Probatio.**Ioan. 15.**1. Ioan. 5.*

## CORPORIS CHRISTI.

51

sam vitæ æternæ, ac proinde nostræ Iustificationis, Remissionis peccatorum, & eorum eiusmodi quæ ad vitâ æternâ referuntur. Quamobrem si putas te Remissionem peccatorum & Iustificationem habere, quū ipsum Christū nō habcas: tu causam cōtinentē ab effecto suo separas. Nā huic quæstioni valde accommodatam esse rationē eius causæ quā Philosophi Cōtinentē vocat, in i. cap. hujus disputationis admonuimus. Hęc est autē natura Cōtinentis causæ, vt illā positā, ponatur quoq; eius effectum: & vicissim, effecto illius causæ posito, ponatur & causa: nec vnum ab altero Possit vñquam re ipsa separari.

## ARGUMENTVM. VII.

**Q**ui in S. Cœna sola Christi beneficia, non autē simul veram cum ipso Christo communionem propounderunt, exortunt præclarā hanc Christi sententiam. *Qui māducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in eo. Quod absit ut faciamus.* Ioan 6.

Cōsequentiam esse manifestā hinc Probatio.  
d. ij.

apparet: quod, de virtute sermonis (vt loquuntur Scholastici) aliud est, manere in Christo, aliud manere in beneficiis Christi: nec vsquam reperias hoc loquendi genus: manere in beneficiis, & beneficia manere in nobis. Verba autem Christi significant arctissimam coniunctionem, vt videre licet ex cōsimilibus locis: vt, *Manete in me & ego in vobis: sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite; ita nec vos, nisi in me manseritis.*

*Ioan.15.* *In illo die vos cognoscetis, me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis, &c.*

Sic igitur dicendum est, nos arctissimè cum Christo coniungendos esse, ut eius beneficiis, ipsaque adētēxterna vita perfruamur.

## ARGUMENTVM VIII.

*Si in S. Cœna beneficia Christi tātūm obsignātur, nō autem verē cum ipso Christo coniungimur: sequeretur, aut Christum nō esse Caput Ecclesiæ, aut Ecclesiam non esse corpus Christi: utrumque*

vtrumque falsissimum & innumeris  
Scripturæ locis contrarium.

Consequentia sic probatur. Paulus <sup>Probatio</sup>  
de hoc Sacramento verba faciens: Po- <sup>1. Cor. 11.</sup>  
culū benedictionis cui benedicimus, inquit,  
nonne communio Sanguinis Christi est? Pa-  
nis quem frangimus, nonne communio Cor-  
poris Christi est? Quoniam unus panis, unū  
corpus multi sumus, nam omnes unius panis  
sumus participes. Nemo non videt, Apo-  
stolum à vero & naturali Christi Cor-  
pore & Sanguine transitum facere ad  
Corpus eius mysticum, quod est Ec-  
clesia. Atque id causam præbuit Maio- <sup>Cypr. de</sup>  
ribus nostris, ut simile panis ex multis <sup>Cœna D.</sup>  
granis & vini ex multis suis confecti, <sup>&c.</sup>  
ad hoc Sacramētum enarrandum fæ-  
penumero usurparint. Nos igitur insi-  
stentes piorum maiorum vestigiis ab  
ipso Apostolo impressis, ita ratioci-  
nemur. Si Sacramentum Cœnæ Do-  
mini est certum pignus ac veluti ex-  
pressa imago mutuæ cōiunctionis qua  
fideles inter se deuinciuntur: Ergo est  
etiam illius coniunctionis qua fideles  
ipsi cū Christo arctissimè cōiunguntur.  
  
d. iij.

Etenim, ut corporis mébra eiusdē  
vitę ac sensus vinculo compacta, inter  
se cohærent, omnino necesse est, cū  
ipso capite coniungantur; à quo diuul-  
sa, nullā amplius communionē inter  
se habere poterūt. Nusquam autē scri-  
ptum reperias, vel Mortē Christi, vel  
eius beneficia esse caput Ecclesiæ, sed  
hoc de ipso Christo Θεον. Ἰησον. Scri-  
ptura constatissimè affimat. Quia ve-  
rò Affirmatio est mensura Negationis  
(vt tradūt Philosophi) concludamus,  
Syllogismum hunc hypotheticū Από-  
γωγικόν, syllogismo hypothetico κα-  
τανούοντα in hunc modum.

*In S. Cœna  
est communio  
corporis  
cum Capite,  
& membro  
rum Corpo-  
ris inter se.*

Si in S. Cœna cōmunio vera est mé-  
brorum Christi, hoc est, piorum atq;  
fidelium inter se, qui vinculo pacis &  
fraterna charitate coniuncti sunt, (vt  
Apostolus docet & pij Maiores agno-  
uerunt, nec ullus adhuc Christianus  
extitit, quid negaret) Ergo in S. Cœna  
vera communio est membrorū Chri-  
sti cū ipso Christo Capite: quandoqui-  
dem sublata communione cū capite,  
stare nō potest mutua inter se mébro-  
rum

rum communio, immo ne membra quidem sunt nisi ὄμοιοι μοι. Atque id si quis forte negauerit, ille profectò videri possit sine capite viuere, & sine ratione ratiocinari. Huc adde quod Scriptura tradit, fideles unū esse in Christo. Nam si fideles inter se coniuncti sunt, quia communionem habēt cum Christo: sequitur, ipsam piorum cum Christo coniunctionem, esse maiorem mutuapiorum inter se coniunctionem.

Ioan.17.  
Gal 3.  
Eph.2.

## ARGUMENTVM IX.

SIn S.Cœna beneficia Christi tantum obsignantur, nō autē verè cū ipso Christo conjugimur: sequeretur, Ecclesiam non esse spōsam Christi, ita ut irrita esset similitudo cōiugij ab Apostolo super hoc sanctissimo mysterio usurpata. Consequens est impium. Impium igitur & Antecedens.

Eph.5.

Consequentiæ veritatē sic ostendo. *Probatio.*  
Paulus (quemadmodū in cap. superiori proximo audiuimus, quū recitaremus Scripturæ locos ex quibus nostrā d. iiii.

## 56 DE SPIRIT. MANDUCAT.

Eph 5.

demonstrationem effecimus). Nullus  
 inquit, suam ipsius carnem odio habuit, imo  
 enutrit ac fouet eam, sicut & Dominus Eccl  
 esiam: Quoniam membra sumus Corporis eius,  
 ex carne eius & ex ossibus eius. Propterea  
 derelinquet homo patrem & matrem & ad  
 hæreditat uxori sua, & erunt duo in carnem  
 unam. Mysterium hoc magnum est. Loquitur  
 autem de Christo & de Ecclesia. hæc Pau  
 lus. Non est autem huius loci neque no  
 stri instituti prolixè disputare de sensu  
 verborū Pauli, & de applicatione il  
 lius sententiæ quam ex Mose depropo  
 psit. Hoc enim nobis satis esse debet,  
 quod omnes interpretes hoc denique  
 redeunt, Apostolum loqui de arctissi  
 ma nostri cum Christo coniunctione,  
 cuius expressam imaginem in coiugio  
 contemplatur. Cuius etiā rei permulta  
 os alios extare Scripturæ locos con  
 similes in illo ipso capite proximo an  
 notauimus. Iam nisi velimus hæc Pau  
 li similitudinem nobis perire, necesse  
 est dicamus, Paulum arctissimam Ec  
 clesiæ coniunctionem cum Christo  
 significare, cum ait, nos esse ex carne  
 Christi

Christi & ex ossibus eius. Nā si quis existimet verba illa esse tantūm intelligenda de communione naturali, quæ nobis cum Christo intercedit quatenus Humanam naturā assumpsit ὁ ἀόρατος, & factus est particeps Carnis & Sanguinis, (inquit Apostolus:) præterquam quod hac ratione dicendum fuit potius, Christum esse ex carne nostra & ex ossibus nostris: certè hæc interpretatio valde extenuabit piorū cum Christo coniunctionem: cùm de eadē possint etiam Reprobi gloriari. Sunt enim humanæ naturæ participes, non minus quam electi. Atenim Paulus cōiunctionem de qua loquitur, affirmat esse lögè maximam & Ecclesiæ peculiarem, cuius ipse mysterium adorat. Quemadmodum enim vir, est caro vna non cum quavis muliere (licet humanam naturam omnes ex æquo participant) sed cum vxore: Ita Christus non dicitur à Paulo esse una caro cum omnibus hominibus: sed peculiariter cum Ecclesia. Loquor, inquit, de Christo & de Ecclesia. Rursus, absurdum est, sub-

Heb. 2.

Ephes. 5.

stituere Christi beneficia loco ipsius Christi. Quis enim hæc ferat? Ecclesia esse sponsam beneficiorum Christi. Itemque: Nos esse ex carne & ex ossibus beneficiorum Christi. Quam obrem agnoscamus mentem Pauli, atque ita, post ipsum Paulum statuamus. Quemadmodum ea lex est coniugij, ut vxor contrahat matrimonium, non cum bonis ac beneficiis viri: sed cum ipso viro, cuius coniunctionis hoc effectum est, ut sit bonorum viri particeps & illis fruatur: Ita Ecclesiam esse sponsam ipsius Christi, quicum mystico, eodemque sanctissimo & arctissimo spiritualis coniugij vinculo coniungitur, ac propterea esse beneficiorum Christi partipem. Itaque qui sola beneficia proponunt, idem faciunt, ut si quis velit eam esse vxorem, quæ nullam habeat cum ipso viro communionem, & nihilominus sit particeps bonorum eius. Enim uero quoties mihi locus hic Apostolicus ante oculos versatur, toties laudo piam hanc Maiorum nostrorum

August. de  
Gen. ad lit.  
lib. 9. c. 18.  
19. & Sent.  
excerpt.  
327. 328.

strorum sententiam: Ecclesiam fuisse Ambros. in  
 formatam, & , vt loquitur Moses, & Luc libr. 2.  
 dificantam ex Christi latere, quemad Id. de Instit.  
 mbdum Eva fuit ex Adami latere for Virg. cap.  
 mata. Sed etiamnum addo , in Ec 4. &c.  
 clesia aliquid fuisse longè præstantius. Gen. 2.  
 (quidni enim fuerit, quum Christus posterior Adamus sit priore Ad-  
 amo longè præstantior?) Nam Ecclesia sponsa Christi , non tantum ex Carne Christi, sed etiam ab ipso Christo facta & ædificata est. Christus enim Ecclesiam fecit, & ex Carne sua fecit, quum homo factus, ea omnia præstitit , quibus Ecclesia ipsi arctissimè deuincta , fœlicitatem æternam assequetur.

Verè igitur magnum & adorandum est mysterium huiuscæ sanctissimæ & ineffabilis coniunctionis, quæ humana omnia vincula & omnem naturæ facultatem longè superat , adeò ut meritò nobis sit cum Apostolo exclamandū: mysterium hoc coniunctionis Christi & Ecclesiæ esse quām maximum.

Caterū antequā discedamus ab hac  
Apostoli meditatione, non erit alienum, in memoriam redigere quæ de  
utroque Adamo idem Apostolus alio  
in loco nobis tradidit, his verbis. *Sicut*  
1 Cor. 15. *in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo*  
*omnes vivificabuntur.* Et paulò post, Fa-  
*cetus est prior homo Adamus in anima vivē-*  
*tē: posterior vero Adamus in spiritu vivisti-*  
*cum.* Ecce tibi duo Adami inter se cor-  
 parati: atq; ita, ut in priore moriamur  
 in posteriore vivamus eam vitam cu-  
 ius futura est summa beatitas, die illo  
 felicissimo & expectatissimo Resurrec-  
 tionis mortuorum: de qua sic Christus:  
*Qui edit meam Carnem & bibit meum*  
*sanguinem, habet vitam eternam, & ego ex-*  
*citabo eum in nouissimo die.* Ad quod allu-  
 dens Augustinus, Parentes, inquit, ad  
 mortem, Adam & Eva: parentes ad vi-  
 tam, Christus & Ecclesia. Est autē ob-  
 seruandū hoc loquendi genus, *Moriri in*  
*Adamo, & vivere in Christo* (quemadmo-  
 dum etiam admonuimus in principio  
 huiusc disputacionis). Nam ita signi-  
 ficatur ea coniunctio quam cū utroq;  
 habemus.

De Temp.  
Ser. 109.

habemus. Sic igitur libet ratiocinari. Si morimur in Adamo quia sumus cum Adamo coniuncti naturali participatione: ( vnde enim propagatio culpæ, nisi ex propagatione naturæ? ) nonne, obsecro, vitam spiritualem in Christo vivimus, propter spiritualem ipsius Christi participationem? Quod si ea vis naturæ indita fuit Adamo, ut per generationem naturalem nos sui participes faceret, quantumuis licet iampridem mortuus: nonne lôgè maiori ratione Christus in æternum vivens, in cœlū sublatuſ, omnique gloria & honore coronatus, hanc vim habebit, ut per Spiritum regenerationis, mitando, ineffabili & ἡρῷον modo: ( cuius tamē effectum pīj in animis suis persentiantur ) nos reddat sui ipsius participes? Quid? Num id quod est supra naturam minus poterit, quam natura? At qui, hoc diceretur inconstans. Iam autē ex Paulo didicimus, coiunctionem Christi & Ecclesiæ esse mysticam: nec in dubium reuocari potest, quin omne mysticū sit ἡρῷον

& supra naturam, ut iam antè admodumus. Et verò, huius rei Paulus ipse testis est locupletissimus, qui de naturali coniugij cōmunione differens, aſurgit ad magnū illud mysteriū quod in Christi & Ecclesiæ communione cōtemplatur. Quatobrem (est enim nobis ad Apostolicam similitudinem redeundum) cocludimus, eos Euam à priore Adamo, & Ecclesiā ab Adamo posteriore, qui Christus est, diuellere: qui veram Ecclesiæ cum Christo coniunctionem, verámque ipsius Christi participationem esse negant.

Consimilia pleraque argumēta p̄t̄ possunt ex Scripturæ locis antè à nobis commemoratis: qui stare non posſunt, nisi istorum euertatur sententia. Atqui Scripturæ loci sunt εξ ἀράγοντ̄ firmissimi. Ergo & εξ ἀράγοντ̄ istorum sententia cuersa est.

## ARGUMENTVM X.

**S**I in S. Cœna non est vera Corporis Christi & Sanguinis eius, adeoque ipsius

ip̄ius Christi participatio. (quemadmodum isti negant.) Ergo in S. Cœna nec est vera commemorationis Passio-  
nis Christi: nec sunt vera beneficiorū Christi signacula (quod tamen vtrun-  
que isti affirmant.)

Consequens isti perhorrescunt.

Ergo & Antecedens perhorrescant  
neceſſe est.

Consequētia patebit ex genuina vo-  
cabulorū significatione. Nā si in S. Cœ-  
na mortē Christi cōmemoras: ecquid,  
obsecro, cōmemoras? Nimirum id ex  
Pauli verbis descendū est: *Qui proprio Fi-  
lio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit  
eū, quomodo nō etiā cū eo nobis omnia dona-  
bit?* Non potes igitur verē de Christi  
Passione cogitare, quin simul credas,  
tibi hac ratione Christū datū esse, vt,  
cū Christo, omnia ipsius Christi bene-  
ficia percipias. Huc etiam spectat loci  
consimiles: *Filius datus est nobis. Ita Deus  
dilexit mundum ut Filium suum unigeni-  
tum dederit, ut quisquis credit in eum non  
pereat, sed habeat vitam eternā. Pater meus  
dat vobis panem illum carlestern.* Panis

Rom. 8.

Esa. 9.  
Ioan 3

Ioan. 6.

enim ille Dei est qui de cælo descēdit, & dat  
vitam mundo, &c. Iam si usquam alias  
nobis datur & offertur Christus, id sit  
Cœnæ Dominicæ mysterio celebran-  
do, vbi ad ipsam prædicationem Euā-  
gelijs Sacra symbola accedunt. Atque  
id clarissimè testatur ipsa Christi ver-  
ba: *Accipite, comedite: hoc est Corpus meum.*  
Quæ quidem nullius momēti fuerint,  
si Christus à piis credentibus accipi  
non possit. Notum est enim, Date &  
Accipere esse relata. Nec ullus est vel  
tantillū in τρόπῳ ἐπισήμῳ exercitatus,  
cui non perspecta sit natura & vis Re-  
latorum: ex qua videlicet statuendum  
est, id dari non posse, quod accipi non  
potest: & contrà, id quod dari potest,  
accipi posse. At Christus ipse datur  
piis & credentibus. Quare Christus à  
piis & credentibus accipitur: nempe  
spiritualiter, per fidē, efficacitate san-  
cti Spiritus in animis nostris supra om-  
nem naturam operantis. Si quis igitur  
dicat, nos omnia quidem beneficia  
Christi accipere, sed non Christum  
ipsum: id contradictionem implicabit

(v)

(ut Scholaſtici loquuntur.) Nam Chriſtus ipſe eſt donum ac beneficium lōgē prætantillimum, quod nobis conſertur. Sic enim Esaias. *Puer nobis natus,*  
*Filius nobis datus eſt.* Et Paulus: *Quomodo non cum eo omnia nobis donabit?* Audi: cū m ē o. Datur ergo Christus, & cū Christo reliqua omnia Dei beneficia conſeruntur. Tu verò manifeſtē Pau- lo contradicens, Omnia nobis dona- bit ſine eo, inquis. Porrò ſi in S. Cœna ſunt tantū signacula beneficiorum, cur tibi in manus illa signacula tradū- tur? Si signa, cuius rei signa ſunt? ſi ob- ſignant, ecquidnam eſt quod ab illis obſignatur? Vrget enim ratio ac natu- ra Relatorum, ut antè diximus. Iam i- pſe Christus tollit omnem dubitatio- nem, qui panem vocat Corpus ſuum, & poculum itidem vocat Sanguinem ſuum: quæ quidem ſacra Symbola, &, ut loqueris, Signacula, quū fidelibus dantur, ſignificant & obſignant Chri- ſti Corpus & Sanguinem ipſumque a- deo Christū illis dari. Alioqui eſſent signa ſine ſignificatione; hoc eſt, Signa

Eſa. 9.

Rom. 8.

e. j.

66 DE SPIRIT. MANDVCAT.  
non signa:qua ignorantia Philosophi  
dicunt nullam esse crassiorem.

ARGUMENTVM XI.

**S**I Sacramentū Baptismi nobis proponit coniunctionem nostri cum Christo:Ergo id etiam de S. Cœna dicendum est.

Verum est Antecedens.

Verum igitur & Consequens.

*Probatio* Connexum est perspicuum ex natura & analogia utriusque Sacramenti. Quinetiam ipsa cōiunctio magis exprimitur in S. Cœna, vt appareat tum ex verbis Christi, tum etiam ex ipsis signis in Cœna Domini propositis, eorumque natura & significatione.

Antecedens probatur ex sequentibus locis.

*Col. 2.* Concepulti cum Christo per Baptismum, per quem etiam cum eo resurrexisti per fidem Dei efficaciter agentis, qui excitauit eū ex mortuis: vósque mortuos in peccatis & præputio carnis vestræ cum eo viuificauit, condonatis vobis omnibus peccatis.

*Sic cum*

*Sic cum eo plantati coaluimus conformatio-* Rom. 6.  
*ne mortis eius, nimirum etiam Resurrectio-*  
*nis conformatio[n]e coalescemus.*

*Quicunque in Christo baptizati estis, Chri-* Gal. 3.  
*tum induistis: & pleraque consimilia.*  
*Adde, quod Veteres identidem di-*  
*cunt, nos per Baptismum in Christum*  
*inseri, adeò ut de Cōsequentis verita-*  
*te non sit dubitandum.*

## ARGUMENTVM XII.

Si, qui prætermissa Substantia, in solis  
 iphius substantiæ accidéntibus adhæ-  
 rescunt, in nulla scientia tolerandi  
 sunt, nedum in Theologia, scientia-  
 rum regina: Certè qui in S. Cœna solā  
 commemorationem mortis Christi  
 & Signacula tantùm beneficiorum e-  
 ius, nō autem veram Communionem  
 cum ipso Christo Θεωθρόπῳ, ac proin-  
 de cum Corpore & Sanguine eius cō-  
 stituunt, non sunt tolerandi.

Connexi ratio est in promptu. Nam *probatio*  
 vocabula hæc, Christus, Corpus, Ca-  
 ro, Sanguis, Substantiam significant,  
 e. ij.

At Christi Mors & eius beneficia, inter accidentia numerantur. Est igitur iniquissimum, sola Christi beneficia proponere, non autem ipsum Christū, verum Deum ac verum hominem, qui seipsum pro nobis tradidit, ut æterna felicitate potiamur. Evidem mirari satis non possum, quid istis in mētem venerit, qui quum maximè videri vellint à crassis Pontificiorum commentis alieni, nouo tamen modo ad Pontificiorum Transsubstantiationem aliquidant. Nā Pontificij panis substantiā ab ipsius panis accidentibus ita diuelunt, vt putent accidentia panis sine panis substantia ore percipi. Iste autem Passionem Christi & eius Merita ac beneficia, sine Christo, hoc est, sine vera cum ipso Christo communione proponunt. Sed de his haec tenus: nimis enim lōgum esset omnia incommoda recensere quę ex istorum opinione consequuntur: & (quemadmodū alicubi dixit Augustinus) non semper omnes errorū rami sunt sigillatim feriēdi, modò radices ipsæ fuerint amputatae.

putatæ. Iam igitur nobis ad Obiectio-  
nes aduersariorum respōdendum est.

## Cap. IIII.



Vi mendacij & erroris pa-  
trocinium suscepérūt, eos  
perinde facere dicebat  
Chrysostomus, vt qui pu-  
tres parietes albo tectorio <sup>In Matth.  
hom. 57.</sup>  
illinūt. Sic enim solent homines mē-  
dium adumbrata quadam veritatis  
similitudine cōmendare. Posteaquam  
ergo veram de vera Christi nobiscum  
communione sententiā expressis Scri-  
pturæ locis confirmauimus, & eos qui  
contrariam sententiam sequuntur, ex  
eadē scriptura refutauimus: eò iā nos  
huius Disputationis ratio ac metho-  
dus prouexit, vt fundamenta quibus  
illinituntur, diruenda sint, eaque dis-  
soluenda argumēta quæ aduersus no-  
stram sententiam solent obiicere. Sic  
enim facilius errores detegūtur, & de-  
tracto obiectionum integumento, at-  
que (vt cum Chrysostomo loquamur)  
e. iij.

70 DE SPIRIT. MANDVCAT.  
albo tectorio sublato , putres istorum  
parietes omnium oculis patebunt.

### OBJECTIO I.

SI in Cœna Domini māducatio Cor-  
poris Chrtisti & potus Sanguinis ip-  
sius spiritualiter intelligi debent, ut  
plerique omnes agnoscunt : Ergo  
debent non de ipso Christi Corpore  
intelligi : sed de Christi beneficiis &  
imprimis de fructu mortis & sacrificij  
ipsius. Nā Apostolus spiritualibus spi-  
ritualia comparabat. 1. Cor. 2.

Consequentia patet: quia Corpus  
Christi non est spiritus, sed est verum  
ac naturale corpus, quemadmodum  
agnoscunt omnes Orthodoxi: hæc-  
ticis cōtrà sentientibus iam pridē pro-  
fligatis.

### RESPONSIO.

F Allit Cōsequens: nititur enim hac  
falsa hypothesi: Nihil potest in-  
telligi

telligi spiritualiter de Christi vero & naturali corpore: quod est falsissimum. Etenim cōfundunt hēc duo, spiritū, & spirituale, & opponūt Spirituale Corpori. Error  $\tau\alpha\epsilon\alpha\eta\tau\alpha\chi\eta\mu\alpha\tau\eta\zeta\lambda\epsilon\gamma\epsilon\omega\zeta$ . Et rectè monent Philosophi, in argumentis à Coniugatis sēpe latēre Homonymias, quia in illis verba potius quām res considerantur. Professo igitur ἐνσασιν ex Paulo. *Nos post-hac neminem nouimus secundum carnem: quod si etiam nouimus Christum secundum carnē, nunc tamen non amplius nouimus. Si quis igitur est in Christo, noua creatura est,* &c. Quinetiam tametsi humana Christi natura non est spiritus, tamen quomodo vñquam poteris nisi spiritualiter intelligere, humanam Christi naturam à λόγῳ in vñionem Personæ assumptam, ex Sp̄itu sancto conceptā, natam ex Virgine, incomprehēsis Dei donis exornatam, in cælum sublatā, præfulgētem omni gloria ac maiestate? Quomodo possunt, nisi spiritu-aliter, hæc verba Pauli intelligi? *Magnum est pietatis mysterium. Deus con-*

2. Cor. 5.

1. Tim. 3.

e. iiii.

spicuus factus est in carne, inquit. Idem  
 dicendum est de his locis. Quod audi-  
 imus, quod vidimus oculis nostris, quod spe-  
 ctauimus, & manus nostrae contrectarunt de  
 sermone vita. Nam vita patefacta est & vi-  
 dimus, &c. Sermo ille Caro factus est & com-  
 moratus est inter nos. & spectauimus gloria-  
 eius, gloria ut unigeniti egressi à Patre, &c.  
 1. Timoth. 2.  
 Vnus est Mediator Dei & hominum homo  
 Christus Iesus, &c.

Ratio consequentiæ quam afferūt,  
 planè nulla est. Nec enim hæc sunt cō-  
 traria: Corpus Christi est verum ac na-  
 turale Corpus: Ergo non manducatur  
 spiritualiter. Item: si manducatio Cor-  
 poris Christi debet intelligi spirituali-  
 ter: sequitur, iam non esse corpus, sed  
 spiritum. Error est μεταβασις à modo  
 ad rem ipsam. Itemque: error ἀλλοτρί<sup>τό</sup>  
 ἐπόμενον, præter errorem iā suprà à no-  
 bis annotatum, ἀλλοτρία τὸ χῆμα τῆς λέ-  
 γεως. Quos omnes errores sequētibus  
 incommodis obruimur.

Si valet superius Connexum ab ad-  
 uersariis allatum, ergo nihil credi po-  
 test de Christi Corpore, ac proinde  
 periret

Periret certissima & salutaris fides de Christo Mediatore. Adūator & blasphemum. Consequentia patet. Nihil enim potest credi nisi spiritualiter, & ipsa fides est spiritualis.

Item, ut superioris illius cōnisci falso sit dilucidior, detrahamus similitudinem, & metaphoricum loquendi genus proprio loquendi genere commutemus. Māducatio Corporis Christi est arctissima cum Christo coniunctio (vti à nobis suprà copiosè fuit explicatum) adeò ut ipsum Christū verè possideamus. Sic igitur ratiocinemur.

Si valet superius Aduersariorū conexum: ergo nulla poterit esse Ecclesie coniunctio cū Christo. Adūator & ἀδεόλογον. Ratio est quia Christus est verus Deus & verus homo, vero & naturali corpore prædictus: & fideles ex quibus Ecclesia constituitur, sunt homines, vero & naturali corpore prædicti: ipsa autem Christi & Ecclesiæ cōiunctio est spiritualis, quia mystica, ut docet Paulus.

Adde quod sequeretur, nullam esse

74 DE SPIRIT. MANDUCAT.  
cōmunionem sanctorum inter se, quā  
esse spiritualē nemo Ch̄ristianus ne-  
gauerit. Quinetiam, fideles interris  
adhuc peregrinantes coniunguntur  
cum beatis spiritibus in cœlo existen-  
tibus. *Accessistis*, inquit Apostolus, *ad*  
*Heb. 12.* *Ierusalem cœlestem*, *ut myriadas Angelorū*  
*conuentum & Ecclesiā primogenitorum qui*  
*conscripti sunt in cœlis & Indicem uniuerso-*  
*rum Deum, & spiritus iustorum consumma-*  
*torum*. postea subiicit: *Et ad noui Testa-*  
*menti Mediatorem Iesum, & Sanguinē asper-*  
*sionis præstantiora loquentem quam loquere-*  
*turs sanguis Abel*. Hęc Apostolus quæ-  
tionem hanc definiens.

Item sequeretur, nullam esse posse  
inter homines amicitiam, adeoq; ni-  
hil amari quod corporale sit, alioqui  
(si istis credimus) necesse esset, homi-  
nes & quicquid est corporale conuer-  
ti in naturam planè spiritualem: quia  
amicitia est aliquid spirituale, & in i-  
pso animo existens.

Item: sequeretur, res diuinæ & my-  
sticas esse inferiores rebus terrenis A-  
dūcator & per absurdum.

Conse-

Cōseqūentia patet: Nā in rebus terrenis potest fundi possessio haberi ac retineri animo, nec propterea fundus definit esse res corporalis & terrena.

Item: sequeretur, vim alēdi quæ est ~~στιάδης~~ in pane, non posse in pane cōsiderari, quum tamen extra panē considerati non possit. Et consimilia plæraque in hanc sententiam.

Locus Pauli quem citant, nō debet. Cor. 2.  
ita intelligi, quasi loquatur de solis spiritibus. Sed, Paulo spirituale est, quod ad vitam cælestem pertinet, & est à crassis terrenisque hominum sensibus remotum. Itaque ipsos homines vitam illam spiritualem viuentes vocat Spirituales: eos autem appellat ψυχικούς, qui rebus terrenis adhærescunt.

Quare, loco superioris hypothesis ab Aduersariis propositæ, quæ falsissima est, substituamus hoc Theorema Theologicum & verissimum. Quęcunque in Theologia dicuntur de aliqua corporali substantia, & sunt mysticè intelligenda, illa pertinent

quidem ad ipsam corporalem substantiam, sed tamen modo spirituali, non autem corporali. Exempli gratia: *Caro mea verè est cibus*, inquit Christus. Constat autem, cibum hunc non esse corporalem cibū: ac proinde esse mysticè & spiritualiter intelligendum. Sic enim ipse Christus: *verba quæ loqueris vobis spiritus sunt & vita sunt*. Ex quo efficitur, non, ut isti cōcludunt, Carnem Christi in Spiritum esse cōuertendā, sed potius modum quo ipsa Christi caro cibus intelligitur, spiritualem, non autem crassum & corporalem esse. Nam res ipsa, non est modus rei. Et ipsa intelligentia est quidem de re, sed tamen est in animis nostris: & sic de re corporali intelligentia est spiritualis. Quod si Metaphysicis notū est, quanto magis Theologis?

Alius error: quod quum isti in Cœnæ Domini mysterio tantopere vrgēt corporalem substaniā in Christi Corpore, videntur Christum ipsum diuelare, nec aliquid aliud spirituale considerare in S. Cœna, quam ipsa Christi beneficia.

beneficia. Quodquidem est ingens  
 & obsoletus in Theologia. Nec enim  
 vel Caro Christi ab eius Sanguine, vel  
 Caro & Sanguis ab Anima, vel tota  
 Humana natura à Deitate Christi, nec  
 vis vivifica quæ est in Christo ab ipso  
 Christo, nec efficacia, ab efficaciter a-  
 gête diuelli debet, nec etiā potest: quæ  
 admodū suprà admonuimus. Sic enim  
 Christus: *Panis ille Dei is est qui de cælo de-  
 scedit, & dat vitā mundo. Ego sum panis ille  
 vita. Descendi è cælo ut faciam non volun-  
 tam meam sed voluntatē eius qui misit me.  
 Ego sum panis vivificus qui è cælo descendit,*  
 &c. Totus igitur Christus in hoc my-  
 stério considerandus est. Quanquam  
 enim expressè reuocamus ad Mortem  
 Christi, quum sit nominatio mentio  
 Corporis pro nobis oblati, & Sanguis  
 effusus pro nobis, ut amplectamur v-  
 nicum illud & salutare sacrificium pro  
 nobis factum in ara crucis: tamē sacri-  
 ficium non constat sola victima, neque  
 fieri potest sine Sacerdote, nec actio  
 sacrificij potest à victimis separari. Chri-  
 stus autem est simul Sacerdos & victi-

Ioan. 6.

i. Timo.2. ma, *Qui semetipsum dedit Redemptionis*  
*Heb.9. pretium pro nobis*, inquit Apostolus, *Itē:*  
*Per Spiritum aeternum, semetipsum obtulit*  
*inculpatum Deo per immolationē sui ipsius*  
*patefactus est, &c.* Itaque si farentur ad-  
 uersarij nos esse beneficiorum Chri-  
 sti participes in sacra Cœna, & impi-  
 mis vnici illius Sacrificij pro nobis o-  
 blati: fateātur ergo necesse est, nos es-  
 se totius Christi participes. Quando-  
 quidem in hoc singulati Sacrificio,  
 Christus non tantū fuit victima, sed  
 etiam Sacerdos seipsum offerens pro  
 nobis. Ad quod illi quum non ani-  
 maduertant, profectō, nihil tale co-  
 gitantes (vt ego quidē existimō) Chri-  
 stum diuellūt, ac propterea Christum  
 non habent, qui non potest esse Chri-  
 stus, nisi sit totus.

Sic igitur retorqueamus in Aduer-  
 sarios ipsorum argumentum.

Si in sacra Cœna sumus spirituali-  
 ter participes beneficiorū Christi at-  
 que imprimis sacrificij ipsius: (vt vo-  
 lunt) Ergo sumus in sacra Cœna spiri-  
 tualiter totius Christi participes: quia  
 sacrifici-

sacrificium Christi sine toto Christo intelligi non potest, propter eam rationem quā diximus. Ne nobis sit repetendum quod iam antē à nobis cōfirmatū est, hoc esse maximum Christi beneficium, quod semetipsum nobis largiatur spiritualiter & vera fide perfruendum.

Sed iā alias Obiectiones audiamus, quę licet omnes propemodū ad hanc primam reuoluantur, non tamen erit inutile singulas recensere & excutere, vt res ipsa fiat planior, & nostræ sententiæ veritas magis magisque luceat, ante omnium oculos constituta.

## OBIECTIO II.

**S**i homines cum Christi Corpore in sacra Cœna coniunguntur & communionem habent, aut id sit per contiguitatem, aut per commixtionem & crassam confusionem. At homines non coniunguntur cum Christi Corpore per contiguitatem. Est enim in cœlum receptum: homines autem

sacram Cœnam celebrantes, sunt in terra. Rursus, commixtionem & crassam cōfusionem cum Christo Orthodoxi omnes refugiunt. Nullo igitur modo homines in S. Cœna cum Christi Corpore coniunguntur.

Connexum est perspicuum, si enumeremus modos quibus corporeæ substantiæ inter se coniunguntur. At Corpus Christi, & homines inter corporeas substancialias numeramus.

### RESPONSIO.

**F**allit Cōnexum. Error est *παρὰ τὸ ἀλλετές σταύρωσεως*: quod ita doceo. Corporeæ substantiæ coniunguntur, vel modo corporali, vel spirituali modo. Licet enim homines numeremus inter corporeas substancialias, non sunt tamen sola corpora, sed animo & corpore prædicti sunt. Quare superior distributio locum habet in cōiunctione corporali. At in spirituali minimè. Atq; ut id pateat, proferamus *ἐν σταύρωσεις aduersus superius illud cōnexum*

xum, quæ simul erunt totidem incōmoda quibus aduersariorum obiectio refelletur.

Inter homines ipsos ea vis est amicitia, ut alij cū aliis benevolentia vinculo cōnectantur, maneatq; illa coniunctio, licet amici locorū spatiis disiuncti sint. Ac proinde neque cōtiguitas sit, neque permixtio, vel confusio.

Coniugū coniunctio manet & perdurat inter ipsos coniuges, quantumvis licet locorū intervallo inter se distantes.

De fidelibus Hierosolymitanis sic Lucas, Multitudinis, inquit, eorum qui crediderant erat cor unum & anima una.

Fideles vbi cūque terrarū sunt arctissimo cōiunctionis vinculo inter se devinciuntur: quippe quum sint eiusdem corporis mēbra, ut eleganter Cyprianus docuit variis similitudinibus, S. De unit. Ecclesie. f. j.

animo & corpore cōstantes & eiusdē  
fidei & Charitatis vinculo coniuncti.

<sup>2. Cor. 7.</sup> Paulus dicebat Corinthios esse in  
<sup>Phil. 1.</sup> corde suo. Se tenere Philippenses in  
<sup>1. Thess. 2.</sup> corde. Se conspectu quidem orbatum  
<sup>Coloff. 2.</sup> esse Thessalonicensibus, sed non ani-  
<sup>2. Cor. 5.</sup> mo. Se quantumuis corpore absen-  
tem, tamen esse spiritu cum ipsis Co-  
lossensibus, & eorum ordinem cerne-  
re. Se corpore absentem, spiritu præ-  
sentem affuturum Corinthiis, & eius-  
modi complura, ex quibus elucescit id  
quod diximus de spirituali coniunctio-  
ne inter eos qui locorum interuallis  
disiuncti sunt. Sed iam vterius pro-  
grediendum est. Quum enim agimus  
de Corporis Christi mandatione  
in Cœna Domini, hoc est, de arctis-  
sima nostri cū ipso Christo cōiunctio-  
ne: loquimur de re quæ non modo sit  
spiritualiter, sed etiam supernaturaliter  
& ἡρφυσικῶς. Quòd si non esset, v-  
<sup>1. 1. h. 15.</sup> tique Apostolus non exclamaret. My-  
sterium hoc magnum esse. Nobis igi-  
tur sermo est de Christo, ac propterea  
non

non de re tantum naturali , sed de  
Θεωρων Deo ac homine, Dei & ho-  
minum Mediatore, totiusque naturæ  
Domino: cui si qui non concedat , vt  
possit nos verè secum & spiritualiter,  
& plusquam naturaliter coniungere:  
quomodo credit futurum , vt ille ipse  
Christus nobis mortalibus immorta-  
lem , æternamque vitam largiatur ? I-  
taque mysterium hoc enarrans Chri-  
stus : *Qui edit meam Carnem , & babit Ioan. 5.  
meum Sanguinem , habet vitam æternam  
& ego excitabo eum in nouissimo illo die.*  
Ex quibus verbis duo colligimus ex  
quibus tota hæc quæstio definitur.  
Primùm , quum de sanctissimo hoc  
mysterio cogitamus , attollendos es-  
se animos longè supra res terrenas , ita  
ut statuamus , cum posse nos secum  
spirituali & supernaturali modo ve-  
rè coniungere , qui potest nos excitare  
ex mortuis . Deinde , manducatio-  
nem Corporis Christi , licet spiritualis  
sit , nō tamen solis animis , sed etiā ipsis  
corporibus professe , suo tempore tan-  
dē aliquando , viuifica Christi virtute ,

resurrectutis. Sic igitur in superius Adversariorum Connexū ratiocinemur.

Si verū est quod volunt, Fideles nō coniungi nec habere communionem cum Christi Corpore, quia, quum sint ipsi corporei, necesse esset illam coniunctionem fieri per contiguitatē, vel per commixtionem & confusionem, quę tamen omnia Orthodoxi reiiciunt:

*Si, inquam, hoc verè connectitur: Ergo Christus cum fidelium corporibus nullam habet communionem.* *ad òratorv.* Sic enim Paulus. *An ignoratis corpora vestra esse membra Christi? &c. Item: si corpora fidelium nullam habent communionem cum Christo: non igitur resurgent ad vitam æternam. Quod absit ut vel cogitemus. Iam si spirituallis illa & mystica Christi cum fidelibus, hoc est, cum fidelium, non animis tantum, sed etiam corporibus coniunctione negari non potest: obsecro te, cur negabis spiritualem & mysticā Corporis Christi nobiscum coniunctionem? Cur non illa ipsa virtute qua potest nos totos secum coniungere, poterit*

terit se totum coniungere nobiscum?  
Atque ut id nō negemus, faciunt hæc  
Christi verba significatissima: *Qui mā-  
dacat meam Carnem & babit meum Sangui-  
nem in me manet & ego in eo.*

John 6:51

Duos igitur eosdémque grauissimos  
errores admittunt Aduersarij: vnum,  
quod communionem Corporis eo lo-  
co habeant quo vulgo habentur cor-  
poreæ rerum naturalium, adeoq; sen-  
sus expertum coniunctiones, neq; co-  
gitant, hīc agi de Christo Θεορθρόνῳ,  
& de coniunctione spirituali, mystica,  
supernaturali: quippe quæ fit per fidē  
efficacitatem Spiritus sancti. Solus enim  
contactus Corporis Christi non viu-  
ficaret, nec omnes illi qui manibus  
Christum cōrectarunt, vitam habue-  
re: sed illi demum qui ipsum vera fi-  
de contigerunt. Cuius rei argumento  
est, quod quum Christus à turba pre-  
meretur, tamen quum eius vestem mu-  
licr illa quæ fluxu sanguinis laborabat  
cum fide tetigisset, rūc demum Chri-  
stus: *Quis me tetigit?* inquit. Nā Chri-  
stus fide tangitur, vt ait Augustinus.

Luc. 8.

De verb. D.  
Ser. 80.

f. iij.

Alter error est: quod ita de fidelibus loquuntur, ut si essent sola corpora, cuiusmodi sunt lapides, ligna, plantæ & cætera eiusmodi: ac propterea censent, Corpus Christi non posse coiungi cum fidelibus, nisi eo modo quo lapides, ligna & plantæ inter se coiunguntur. Atque hæc, non vitia tantum, sed etiam flagitia à piis mentibus & ab omnibus Theologicis disputationibus arcenda sunt.

## OBJECTIO III.

**S**i in hac Enuntiatione: In Cœna Domini fideles māducant Corpus Christi, vocabulum Manducandi, per similitudinem intelligēdum est: Ergo vocabulum Corporis nō erit intelligendum in propria significatione. Ac proinde exponendum erit de ipsius Christi beneficiis.

Cōsequētia patet. Quia hæc est Enūtiationis natura, vt vnu de uno vel affirmet vel neget. Quod si pars Enūtiationis per similitudinē, altera propriè intelligatur, non videbitur vnum de uno

vno affirmari.

## RESPONSI.

**F**allit Cōsequentia : nihilq; præsidij habere potest ex subiecta ratione. Nam in Enuntiatis , verborum sensus potius quām verba ipsa spectāda sunt: præsertim in Theologicis Enuntiatis. Euangeliū ( inquit Hieronymus ) In Epist. ad Gal. cap. i. non est in sermonum foliis, sed in radicationis. Et Hilarius ex verbis sensus, ex sensu ratio , ex ratione veritas. Proferamus igitur ἐντάσις locupletissimas quibus hoc Aduersariorum argumentum refellatur . Simon Bar-Io- Matth. 16. na est petra. Item: Christus super hanc petram edificat Ecclesiam. In superiori Enuntiato , vocabulum Petrē usurpatur per similitudinem : at vocabulum Simonis in propria significatione usurpatur. Itēmq; in posteriori Enūtiato: verbū Ædificandi per similitudinē intelligendum est. At vocabula, Christi, & Ecclesiæ , non item. Sunt eiusmodi sexcenta ex quibus superior obiectio redarguitur. Quare nobis potius f. iiiij.

De Genes. audiēdus erit Augustinus ita de hac re  
 ad lit. libr. differēs. Non propter vnius verbi trāſ-  
 lationem totum figuratē accipiēdum  
 est, inquit. Pr̄terea, sequeretur ex isto  
 Aduersariorum argumento, in institu-  
 tione S. Cœnæ, Corpus Christi esse si-  
 militudinem Corporis Christi (quo in  
 errore sunt Pontificij Scholastici, quū  
 dicunt Corpus Corporis, & Sanguinē  
 Sanguinis esse Sacramētum.) At enim  
 satis perspicuum est, Symbola esse cō-  
 stituenda in pane & vino, quippe quæ  
 sint signa & sigilla Corporis & Sangu-  
 nis Christi. Quòd si rursus Corpus &  
 Sanguis signa sunt, ecquonam tādem  
 erit deueniendum. Verum enim uero  
 Christus ita de suo Corpore & Sangu-  
 ne loquutus est: *Quod pro vobis traditur.*  
*Qui pro vobis funditur.* Corporis autē si-  
 militudinem fuisse pro nobis traditā,  
 aut similitudinem Sanguinis pro no-  
 bis fusam, inter Christianos, ne fando  
 quidem auditū est. Sed hac de re no-  
 bis erunt plura dicenda in disputatio-  
 ne de Sacramētali mādicatione Cor-  
 poris Christi. Rursus aliud est incom-  
 modum

modum quo isti maximopere vrgentur. Sequeretur enim ex corū ratiocinatione, Corpus Christi esse similitudinē beneficiorū ipsius, quod loquendi genus, ne ipsæ quidem aures ferre possunt. Corrigamus igitur superius Aduersariorum Cónexum: & quia illi nobis suo more ~~ψευδηγονμα~~ in Theologia loco veri Theorematis obtrudunt: reponamus verū hoc præceptum, cum in aliis disciplinis, tum in Theologia vtilissimum.

Quotiescunq[ue] in Enuntiatione Theologica vocabulum aliquod, per similitudinem usurpatum: tum, vt accuratè expendatur Enuntiatio, Metaphoricum vocabulum, quoad eius fieri potest proprio vocabulo committetur, vt verus ac proprius Enuntiationis sensus, ex veris ac propriis vocabulis elucescat.

Quanquam, hīc admonendi sumus, quum de rebus diuinis agitur, vix ac ne vix quidem fieri posse, vt à vocabulis Metaphoricis abstineamus. Et enim ea est tum rerum diuinorum sub-

De Patient. Iob. hom. sublimitas, tum ingeniorum nostrorum tarditas atque ignorantia, ut res diuinis verbis satis dignis ac verè propriis exprimere non possimus. Rectè enim Chrysostomus, In terum diuinorum sermone, verba rebus inferiora esse dixit. Atque hæc de nostra Enuntiatione in qua vñum de vno dicitur contrà quām isti existiment.

## OBJECTIONE IIII.

**S**i Sacra Cœna instituta fuit à Dominō, ut animæ nostræ nutritur in vitam æternam: Ergo nomine Corporis & Sanguinis Christi aliquid spirituale intelligendum est, ac propterea non ipsum Corpus, nec ipsæ Sanguis.

Consequentia patet ex vi Relatōrum. Ut enim Corpus nutritur ex re Corporali, ita anima ex re Spirituali, nutrienda est.

RES.

## RESPONSI.

Allit Connexum hypotheticum.  
Primus error  $\omega\delta\eta\tau\lambda\alpha\gamma\alpha\sigma\tau\tau\epsilon$   
 $\lambda\epsilon\gamma\chi\cdot$  Nec enim planè de eadē re lo-  
quitur de qua nos loquimur, nec eo-  
dem modo dicimus , Corpus Chri-  
sti esse cibum animarum nostrarum:  
nō quia est corporeā quædam Substā-  
tia, sed quia est Corpus Christi Filij  
Dei & Mediatoris inter Deum & ho-  
mines , summique illius Pontificis  
qui semetipsum in cruce pro nobis  
obtulit. Itaque non hæremus in Cor-  
pore , quatenus est simpliciter Cor-  
pus: ( quis enim nescit animas nostras  
ex corporeā substantia nutriti nō pos-  
se? ) sed simul cum Christi Corpore to-  
tum Christū intelligimus, & intelligē-  
dum esse iā suprà confecimus, ne quis  
integrā salutem à diuiso Christo  
sperare vñquam audeat. Ut enim  
non est Christus, nisi sit Christus to-  
tus : ita non est salus , nisi sit inte-  
gra salus . Nam hæ res diuisionem

Ioan.6.

non admittunt. Christum autem esse  
verum animæ cibū qui negat, ille non  
credit his Christi verbis: *Care mea verè*  
*est cibus & Sanguis meus verè est potus. Pā-*  
*nis ille Dei is est qui de cælo descendit & dat*  
*vitam mundo. Ego sum panis ille viuisficus*  
*qui de cælo descendit, &c. Verūm, age, vt*  
*res fiat etiamnū dilucidior, paulò ac-*  
*curatius expendamus hoc Enuntiatū.*  
*Caro Christi siue ipse Christus, est ci-*  
*bis animæ quo anima nutritur in vi-*  
*tam æternā. Hic, Cibi, &c, Nutriendi, vo-*  
*cabula per similitudinem usurpati, nō*  
*tantum agnoscunt, sed etiam vrgent*  
*Aduersarij. Ac proinde contendunt,*  
*nomine Corporis & Sanguinis aliquid*  
*tantum spirituale intelligendum esse:*  
*quandoquidem, inquiunt, animus ex*  
*re spirituali nutriēdus est. Verūenim-*  
*vero si verbum Nutriendi, hic per si-*  
*militudinē usurpatur, cur illud ipsum*  
*retines, tum quum vis rem ipsam de-*  
*tracto similitudinis ornatu nudam ac*  
*simplicem proponere? Nam satis con-*  
*stat, verbum, Nutriendi, ad animum*  
*nisi per similitudinem transferri nō*  
*posse.*

Posse. Ergo in redditione similitudinis non fuit retinendum idem verbū Metaphorice usurpatum, siquidem velis accuratè ~~applicari~~ eis. Atenim ratio similitudinis vocabuli *Nutriēdi*, necessariò postulat, ut animi nostri arctissimè cū Christo Θεῳ πάντω coniungantur, & sint eius participes, ut ex illo *vita* hau- riant: tūc enim Corpus nutritur cibo, quum cibum illum sumpsit, & eum arctissimè sibi coniunctum, adeoque as- similatum habet. Id quod iam antea nobis copiosius fuit demonstratum. Ecce quomodo ipsum tuum argumē- tum & natura relatorum qua niteris, nostram sententiam confirmat. Etenim quis est cibus quo nutriūtur, hoc est, fo- veatur ac sustentantur animi in vitam æternam? Respōdet Apostolus: *Chri- stus factus est nobis Sapientia, Iustitia, San- ctificatio & Redemptio.*

Rursus: quomodo nutriuntur animi & fiunt illius Sapientiae, Iustitiae, Sæcti- ficationis & Redemptionis partici- pes? Nimirum per fidem, inquit idē Apo- stolus, quæ nos efficacitate S. Spiritus

1 Cor. 1.

Ephes. 2.  
&c.

arctissimè cum ipso Christo coniungit. Quòd si Sapientiam, Iustitiam, Sanctificationem & Redemptionem putest te posse habere, ita ut ipsum Christum non habeas, id Apostolus nō patitur. Sic enim ille: *Ex ipso estis in Christo Iesu, qui factus est nobis Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, & Redēptio.* & ipse Christus:

*Iohn. 6. & 14.* Ego sum panis ille viuificus: & alibi: *Ego sum vita:* & pleraque eiusmodi: in quibus vocabula Personam ipsam Christi significantia obseruanda sunt.

Secundus error: quòd isti concludunt, id necessariò esse spiritum, cuius consideratur spiritualis coniunctio. Error *Φατὸς ἐπόμπων* suprà iam à nobis refutatus. Quid? nonne ipsa Beatorum corpora post mortuorū resurrectionem erunt spiritualia? Et quidem, ait Apostolus: sed non erūt propterea spiritus. Sic enim Christus de Corpore suo post resurrectionem (cui nostra aliquando futura sunt σύμμορφα inquit Paulus) *Contrectate me, spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere.*

*1. Cor. 15.*

*Philip. 3.  
Luc. 24.*

Tertius

Tertius error iam in superioribus notatus. Quod nihil hic spirituale intelligunt præter beneficia Christi. At enim omnia iam sunt in Christo spiritualia, quū etiam gloriosum Corpus, post Resurrectionē, spirituale ab Apostolo dicatur. Quo fit ut idē Apostolus vocet Christum, Adamum cœlestem.

Item, factus est prior homo in animā viuentem: Posterior autem Adam in Spiritum viuificum. Atenim non potes habere animam viuentē, quin sis Adami particeps. Similiter, non potes sustentari à Spiritu Christi viuifico, nisi sis particeps ipsius Christi. Denique ipsa Christi beneficia percipi non possunt, quin percipiatur ipse Christus, quēadmodum suprà ostendimus.

Quartus error, quod illi non satis aduertunt ad naturam eius rei de qua disputatur. Agimus enim de sanctissimo mysterio, & quod non iam esset mysterium, si naturæ finibus circumscriberetur. Hæc est autem natura ac ratio huiusc mysterij, ut arctissimè cohæreamus cū Corpore & Sanguine

Christi, adeoque cum ipso Christo qui pro nobis in cruce mortuus est: cohæreamus, inquam per fidem, efficacia & virtute Spiritus Sancti: quæ quidem omnia sunt supra naturā, ac propterea non sunt ex naturæ legibus metienda. Etenim quæro, in futura vita post mortuorum Resurrectionem, ecquā re beatorum tum animi, tum etiam corpora sustentabūtur in vita æterna? Spirituali profecto: quādoquidem & ipsa corpora erūt spiritualia, vt antè audiūmus ex Paulo. Quemadmodum igitur futurum est, vt gloria corpora sustententur ex re spirituali, idque modo nobis planè incomprehensibili: cur non agnoscant, modo itidem incomprehēsibili, ex ipso Christo (cuius etiam Corpus gloriosum est & maximo honore coronatū) animos nostros nutriti & sustentari in vitam æternam?

Rerorqueamus igitur argumentum Aduersariorum hoc modo: Si corpus nutritur ex re corporali: ergo animus nutritur ex re spirituali, inquit. Nos autem

autē hoc ipso argumēto freti sic ratio-  
cinamur. Si corpus nutritur ex re ipsa,  
non autem simpliciter ex sola rei qua-  
litate & eiusmodi accidentibus: Ergo  
animus nutritur, non ex solis Christi  
beneficiis sed ex ipso Christo.

## OBJECTIO V.

**S**I Christus in nobis habitat per Spi-  
ritum, sic & per fidem, ut docet Pau-  
lus: ergo Corpus Christi in nobis non  
habitat. Consequentia patet ex oppo-  
sitione rerum spiritualium & corpo-  
ralium.

Rom.3.  
Eph.3.

## RESPONSIO.

**Q**UAMUIS hoc loquendi genus to-  
tidē verbis non extet in Scriptu-  
ra, Corpus Christi habitare in cordi-  
bus: tamen, si quidem rectē intelliga-  
tur, verum est. Quare si Connexū istud  
agat de habitatione corporea quæ sic  
modo corporali, nos crassam illā ha-  
bitationem repudiamus. Tunc enim

g. j.

requiritur, situs, locus & cætera eiul-  
 modi, quæ sunt in rebus aspectabili-  
 bus, non autem in animis: & esset per-  
 mixtio & confusio, potius quam ha-  
 bitatio, sed si negat spiritualem habi-  
 tationē, hoc est, veram illam coniun-  
 ctionem quam habemus cū toto Chri-  
 sto (de qua iamdudum disputamus) re-  
 pudiandum est. Fallit enim & *παρε*  
*τὴν ὄμωνυμίαν*, & , *παρτὸν αὐτοῖς τῷ ι-*  
*λέσχῳ*. Iam enim superiori disputa-  
 tione confecimus, nos per fidem, effica-  
 cia Spiritus Sancti, arctissimè coniungi  
 cum toto Christo. Quid igitur obstat  
 quominus idē dicamus de habitatio-  
 ne totius Christi in cordibus nostris?  
 Etenim verbum *Habitandi* in eum fi-  
 nem usurpatur, ut magis exprimat san-  
 ctissimā illam coiunctionem. Quò e-  
 tiam spectant hæc Christi verba. *Qui*  
*manducat meam carnem, in me manet,* &  
*ego in eo.* Absit autem ut fides, operan-  
 te Spiritu Sancto, nos coniungat cum  
 vna tantum parte Christi, ac non po-  
 tius cum toto Christo. Fides enim am-  
 plectitur Christum Redemptorē, Me-  
 diatorem

diatorem, Pontificem: Christum, inquam, pro peccatis nostris mortuum: & pro iustitia nostra à mortuis excitatum: quæ sine Humana Christi natura, & sine Carne & Sanguine ipsius, ne intelligi quidem possunt.

Itaque satis erit, adductis incōmodis, superius Connexum refellere. Si verba Pauli de Christo habitante in cordibus nostris sunt intelligenda de solis Christi meritis & beneficiis, ac nō imprimis de ipso Christo: Ergo hic erit sensus verborum Pauli: *Christus in nobis est*: Itemque, *habitat in cordibus nostris*, inquit Paulus, hoc est, (ex istorum interpretatione) Sacrificium Christi, eius merita & beneficia habitant in nobis. Atqui merita Christi sunt Mors eius, & ea quæ præstítit pro nobis, & quæcūq; ad eius Sacerdotiū pertinent. Itaq; si quis dicat, Sacerdotium Christi & eius Passionem habitare in nobis, ille loquendi genus usurpabit incognitum Scripturæ. Est enim spectanda similitudo habitationis, quæ postulat, ut sit aliquis habitator. Itaque Scriptura

Rom. 8.  
Ephes. 3.

g. ij.

in hac similitudine, non proponit nobis sola Christi beneficia ac Merita, sed ipsum Christum, qui nos suis meritis ac beneficiis exornat, eò quòd habitat in nobis. *Si quis diligit me, inquit Christus, Sermonem meū seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus.* Ut igitur ex hac similitudine, nō dicimus alicuius solas qualitates domum inhabitare: sed eum inhabitare dicimus, cuius sunt illæ qualitates: habitare, inquit, cū suis illis qualitatibus: ita propriè dicendusest Christus habitare in cordibus nostris vna cum suis meritis quibus suum hoc habitaculum illustrat.

Item: si Aduersariorum sententiarecipitur. Ergo (quod absit) erit *αδολεξία* in his Pauli verbis. *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum. Spiritus autē vita est propter iustitiam.* Hic, si nomine Christi eius beneficia tātūm intelligis, ac non ipsum Christum, erit iste sensus: si mortificatio & viuificatio (quæ sunt Christi beneficia) habitant in vobis, certè mortificatio & viuifica-

tio in vobis habitabunt: quæ erit manifesta ταυτολογία. At lōgē significantiora sunt Pauli verba, quibus argumētatur à causa continentे ad effectum ipsius necessariū. Propterea nobis Christus proponit ceu causam nostræ mortificationis & viuificationis. Quòd si effectū aliud est à suā causa continentे (licet tempore sint simul) sequitur εξ αὐτῆς, Mortificationem & Vinificationem piorum, non esse Christum ipsum in nobis habitantem, sed ab ipso Christo effici, quatenus in illis habitat: hoc est, efficacitate sui Spiritus, per fidem, cum illis arctissimè coniungitur.

Sic igitur Aduersariorum Cōnexum in illos ipsos retorqueamus. Si Christus habitat in cordibus nostris per Spīritum S. & per fidem, hoc est, si cūm rotō Christo arctissimè cōiungimur: Ergo cūm ipso etiam Christi Corpore spīritualiter, per fidem, efficacitate S. Spīritus, corda nostra arctissimè cōiuncta sunt. Neque hīc admittenda est oppositio rerum corporalium & spiritualiū: quia nos de habitatione & coniunctio-

102 DE SPIRIT. MANDVCAT.  
ne spirituali loquimur, quum dicimus  
illam ipsam habitationem & coniun-  
ctionem fieri per fidem, efficaciâ Spiri-  
tus Sancti.

### OBJECTIONE VI.

**S**criptura in mysterio Cœnæ Domi-  
ni nō vtitur vocabulo Præsentiaæ. Er-  
go Corpus Christi non est præsens in  
Cœna Domini.

### RESPONSIO.

**F**allit Consequens *αὐτὸν τὸ ἐπόμπων*.  
Sufficit enim quod res à nobis in-  
tellecta vocabulo Præsentiaæ, in Scrip-  
tura clarissimè cõtinetur. Quocirca di-  
cebat Tertullianus, diuinam rationem  
esse in medulla. Et Hieronymus: Eccle-  
sia, inquit, in Scripturis sensum ac mé-  
tem, magis quam verba perquirit. Iam  
verò ex superioribus spero cõfessū es-  
se, totū Christū in S. Cœna nobiscū  
arctissimè coniungi. Porrò coniunctio  
præsentiam includit: & quemadmodū  
coniunctio est spiritualis, ita spiritua-  
*lis*

De Resur.  
carn.

In Zachar.  
c.4.

lis quoq; est præsentia. Itémq; quemadmodum Corporis Christi corporalis præsentia in terris non requiritur ad spiritualem coniunctionem: ita nec ad spiritualem præsentiam. Certè hæc verba Christi: *Qui manducat meam carnem & babit meum sanguinem in me manet & ego in eo*, necessariò ipsius Christi nobiscum præsentiam inferunt. Nam hæc duo enuntiata: Christus manet in nobis, & Christus abest à nobis, inter se opponuntur. Præterea hæc Christi verba: *Accipite & comedite, hoc est Corpus meum*: non possunt intelligi, nisi constituatur quidam modus præsentiae Corporis. Nam si solus panis datur in Cœna Domini, non est igitur Sacramentum: quippe quum in Sacramento duo sint, videlicet signum & res significata: & signi traditio significet traditionem rei: ita postulante Sacramentali *avaloγia*. Quia verò in hac quæstione præsentiam ex coniunctione metimur, ea proculdubio est ratio præsentiae, quæ est ratio Coniunctionis. Si quis igitur ita ex nobis quærat:

Quomodo Corpus Christi nobiscum  
arctissimè coniungatur? Hoc respon-  
sum auferet. Coniungitur spiritualiter:  
quia id sit per fidem & efficacia Spiri-  
tus sancti. Ex quo emergit, præsentiam  
Corporis Christi in Cœna Domini el-  
se spiritualem: quia sit per fidem, effica-  
cia Spiritus sancti. Quemadmodum i-  
gitur rei corporalis potest esse spiritua-  
lis coniunctio: (ut à nobis suprà decla-  
ratum est) ita rei Corporalis Spiritua-  
lis præsentia esse potest. Plura verò nō  
sunt addenda, ne superioribus repeté-  
dis actum agere videamur. Quare re-  
torqueamus Argumētum hoc modo:  
Si displicet illis vocabulum Præsentie,  
in hoc mysterio (cuius tamen sensus  
luculentè extat in ipsis Christi verbis)  
quantò magis damnādi sunt qui voca-  
bula à Christo usurpata in alienū sen-  
sum detorquēt, & pro Christi Corpore  
sola eius beneficia proponunt? quoniam  
tamen Christus non dixerit, qui man-  
ducat mea beneficia, sed potius, qui  
manducat meam Carnem habet vitam aet-  
ernam.

## OBIECTIO. VII.

SI Corpus Christi verè adest in Cœna Domini & verè accipitur: Ergo Christi Corpus corporaliter adest In, Cum, Sub pane, vel Sub specie panis, & à nobis corporaliter & oraliter accipitur. Quid igitur reliquum est, quin vel ad Transsubstantiationis aut Consubstantiationis dogma trāseamus, vel iis subscribamus, qui nostram substantiā cum Christi substantia commiscent & cōfundunt? quorum omniū opinionem qui repudiant, non debēt iis vti vocalis, quibus populus in errorem inducatur.

## RESPONSIΟ.

NEgo Cōsequēs. Error *ταχεῖ τὸνό-*  
*μπον*. Nec enim ita rectè aduersus nos connectitur. Si Corpus Christi nobis verè adest præsens: Ergo corporaliter nobis adest præsens in terris. Itemque: si verè à nobis accipitur, ergo corporaliter & oraliter à nobis accipiatur,

tur. Est enim aliud præsentia & percepcionis modus. In cœlo quidē est Corporaliter, respectu existētię ipsius corporis, sed nihilo minus est præsens animis nostris per fidem præsentia spirituali.

Secundus error *παρὰ τὴν σταύρωσιν*: Nam isti omittunt quod nos simul addimus: nempe hanc præsentia & hanc manducationem & perceptionem esse spiritualem: quippe quum fiat per fidem, operante Spiritu Sancto. Quintam detracta similitudine, exponimus quid significet vera mādūcatio & vera præsentia Christi: nempe arctissimātius Christi pro nobis crucifixi communionem.

Tertius error: quòd putant nos effectum Cœnæ Domini includere non tātūm in terris: sed in illo loco ubi sanctissimum hoc Sacramentum visibiliter celebratur: addo etiam, in ipsis signis quę ex Instituto Christi nobis portiguntur. Quod longè secus est. Noscim in terris existētes, vera fide & virtute Spiritus Sancti Iesum Christum

*Quid?*

*Θεόν Θρωπόν verum Deum & verū hominē spiritualiter amplectimur, secundum humanā naturam, Corporaliter in cœlo præsentem. Hanc fuisse Christianæ Ecclesiæ à priscis vsque seculis sententiam, ex eo cōspici potest, quod memoriae proditum est, Maiores nostros, quum Cœnam Domini celebrent, admoneri solitos, ut Sursum haberent corda, & fide in cœlum euecti, Christi Corporej & Sanguine vescentur. Certè nos eò deducūt Apostoli cohortationes.*

*Si resurrexistiſ cum Christo, ſupern aquæ-  
rite, ubi Christus eſt ad dexteram Dei ſedens.* Col. 3.

*Nos ut municipes cœlorum nos gerimus, unde etiam Seruatorem expectamus Domi-  
num Iesum Christum.* Phil. 3.

*Nos unā excitauit & ſedere fecit in cœlis,* Ephes. 2.  
*&c. Neq; ſanè in eum finē instituta eſt  
Cœna Domini, ut animos noſtros in  
terrā demergat: ſed ut eos potius in cœ-  
lū ſubuehat: quippe quum Sacramēta  
non ſint impedimenta fidei, ſed adiu-  
menta. Verè igitur Corpus Christi  
in cœlo præſens eſt, Corporaliter: &*

verè spiritualiter præsēs est animis no-  
stris, siue fidei nostræ, qua à nobis per-  
cipitur. Et perperam ita concludūt. Si  
Spiritualiter: ergo nō verè: quia nihil tā  
verè fit, quām id quod facit Spiritus S.  
Quamobrē reetē tradunt Philosophi.  
Ens & Verū inter se conuerti. Quibus  
Soli I.2.c.5. Augustinus assentiēs: Mihi videtur vē-  
rū id quod est, inquit. & Hieronymus,  
In Epist. ad Gal. c.1.  
Quod falsū est, inquit, nō est. Statua-  
mus igitur, Corpus Christi spirituali-  
ter præsens, adeoq; Christum ipsum Fi-  
dei nostrę spiritualiter præsentem esse,  
id operante in nobis, Spiritu S. & ideo  
verè præsentem esse, quia hæc præsen-  
tia spiritualis, est opus Spiritus Sancti.  
Atque ut huius tantæ rei vimbram ali-  
quam, licet tenuē, in rebus creatis spe-  
ctemus. Quæro: quū oculi nostri radiis  
Solis illustrati, solem ipsum in medio  
cælo lucentem conspicunt: an cor-  
pus solis est præsens oculis nostris, nec-  
ne? Respondeat Augustinus: Quomo-  
do, inquit, anima, quæ sunt extra suam  
carnem sentir, quæ nō nisi in carne sua  
viuit? An non ab ciuis carne longissimè  
absunt

absunt sydera in cælo: annon in cælo  
videt solem? An & in cælo viuit, quia  
in cælo sentit, & sensus esse non po-  
test vbi vita non est? An sentit & vbi  
non viuit? quia quum in sua tantum  
carne viuat, sentit etiam in his locis  
quæ præter eius carnem continent ea  
quæ tangit aspectu, &c. Anima non ni-  
si in carne sua est, sentit autem etiam  
præter carnem suam. Ibi quippe sen-  
tit, vbi videt: quia & videre, sentire est.  
Hæc scitè & acutè, hoc est, suo more  
Augustinus. Ex quibus nos ita sanè  
ratiocinemur: Si vis naturalis hoc effi-  
cit, ut corpus Solis tanto locorum in-  
teruallo à nobis dissitum, sit tamen no-  
bis præsens visualiter: (ita enim dica-  
mus) cur animi nostri, irradiante Spi-  
ritu Sancto, ut oculis, ita Fide illumi-  
nata à Spiritu Sancto, non habebunt  
Christi Corpus sibi spiritualiter præ-  
sens, quantumuis licet in cælo corpo-  
raliter existat? Si visus noster temporis  
momento cum Solis corpore coniun-  
gitur, cur Fides non cōiunget nos cum  
ipso Christo, adeoque cū Humana eius

## 110 DE SPIRIT. MANDVCAT.

natura in cœlo collocata? Si locorum interualla visum nō impediunt, nū locorū interualla poterunt obstatre quominus fides sāctissimo Iesu Christi Corpore perfruatur? poterit ne natura, & ipsius naturæ Dominus nō poterit? Poterit oculus, & nō poterit fides? Nū circūfusī Solis radij plus in oculis nostris poterūt quām spiritualis & diuina, atq; adeò efficacissima lux Spiritus S. in animis nostris possit? Absit ut animorum nostrorum ac fidei nostræ cursum, & quod lōgē grauius est, ipsius S. Spiritus efficaciā tam angustis finibus terminemus. Nā quid de Stephano dicturisunt, qui intētis in cœlū oculis, testatus est se videre cœlos apertos, & Filium hominis stantē ad dexterā Dei? Num, obsecro, fide vacuus ita potuit exclamare? Rectè enim Ambrosius: Qui mentis oculos habet clausos (inquit) Iesum ad dexterā Dei nō videt. Quę quū ita sint, nihil afferunt Aduersarij quāobrē non dicamus, Corpus Christi nobis esse spiritualiter per fidē præsens in mysterio Cœnæ Domini. Nec inde via vlla pa-

Act. 7.

De fid. 13.

ter ad crassos illos errores, quos autho-  
ritate Scripturæ freti constanter repu-  
diamus. Quū enim & fidē & virtutē S.  
Spiritū identidē inculcēmus, & hanc  
præsentia, perceptionē & coniunctionē  
Corporis Christi spiritualiter fieri af-  
firmemus, ita ut de virtute ipsius Cor-  
poris nihil detrahatur: ecquid, obsecro,  
loci vel Transsubstantiationi, vel Con-  
substantiationi relinquitur? quid porrō  
cōmune esse potest spirituali Coniun-  
ctioni, cū illa Substātiarū & Qualitatū  
confusione, quā nōnulli introducunt?  
Obstruimus igitur errorū fontes, tantū  
abest ut à nostra sentētia aliquid mana-  
re possit quo populus prauis opinioni-  
bus imbuatur. Eos enim smper dānauim  
mus & dānamus, qui Iustitiam Christi  
Propter quā iustificamur corā Deo, in  
nobis inhērere putāt, & esse quandā in  
nobis qualitatē, & alia cōsimilia; quæ  
partim Pōtificij, partim alij nōnulli si-  
bi opinionis errore cōfinixerūt: de qui-  
bus *τωθεώ* dabitor alibi copiosius di-  
cendi locus.

Retorqueamus igitur Aduersatorū  
argumētū hoc modo: Si debemus abiis

loquendi generibus abstinere, quibus  
populus possit in errorem induci: ne  
posthac igitur illi dicant, S. Cœnam  
esse tātūm commemorationem mor-  
tis Christi, & signacula tantūm benefi-  
ciorum eius: esse signa nuda, & alia  
eiusmodi complura, quæ proculdubio  
reuocat impuros Anabaptistarum er-  
rores, & sacrorum Mysteriorum tum  
dignitatem, tum vtilitatē & fructum,  
nobis imprimis necessarium, extenu-  
ant, ac propè è medio tollunt. Quod  
absit.

## OBIECTIO. VIII.

**S**i ad. S. Cœnam sine fide accedere  
non debemus, & fide cum Christo  
coniungimur: Ergo non satis rectè di-  
citur, eò spectare Cœnam Domini, ut  
cū Christo cōmunionem habeamus;  
quippe quum iam simus cum eo con-  
iuncti.

## REPONSIO.

**I**nneptissimum est Consequens. Ete-  
nim ea est natura communionis no-  
stra

stræ cum Christo, ut quandiu quidem  
in terris degimus, &c., ut Scholastici lo-  
quuntur, sumus in via, & nondū in pa-  
tria, sit nobis in Sacra illa communio-  
ne perpetuò crescendum. Atq; id ver-  
ba Christi manifestè declarant. *Qui*  
*māducat meam Carnem in me manet & ego*  
*in eo: vbi verbū, Manēdi, obseruandū est.*  
Significat enim eā cōiunctionem, quę  
non incipere tantūm debeat, verūmc-  
tiā perdurare. Propterea foueri debet  
rationibus à Christo in eum finem in-  
stitutis. Atque imprimis Euāgelij præ-  
dicatione & celebratione Cœnæ Do-  
mini. Quod etiā facilè elucescit ex his  
Apostoli verbis. *Veritatem sētantes cum*  
*charitate adolescamus in eum per omnia qui*  
*est caput nempe Christus: ex quo totum Corpus*  
*congruenter coagmētatum, ex vi intus agen-*  
*te, pro mensura uniuscuiusque membra, incre-*  
*mentum capit, &c. Ex quo totum corpus per*  
*commissuras & compages suppeditatum &*  
*compactum augescit Dei augmento.*

Et Petrus: *Lac illud sermonis syneerū ex-*  
*petite ut per illud adolescatis.*

Porrò, satis constat, hanc nostri cum

h. j.

Ioan. 6.

Ephes. 4.

Colos. 2.

1. Pet. 2.

Christo cōiunctionem fieri per fidem  
quam quotidie in nobis augēdam esse  
probant sequentes loci,

Rom. 1. *Iustitia per Euangelium retegitur ex fide  
in fidem.*

Luc. 17. *Adauge nobis fidem.*

Marc. 9. *Credo Domine, succurre incredulitati mī.*

Philip. 1. *Persuasum habeo fore, ut qui cœpit in vobis  
opus bonum perficiat usq; ad diē Iesu Christi.*

2. Cor. 10. *Sperantes nos augescēte fide vestra, per vos  
amplificatum iri in assignata nostra mensura.*

2. Thes. 1. *Gratias agere debemus Deo pro vobis quod  
vehementer augescat fides vestra.*

Ibid. *Reccamur pro vobis ut Deus compleat opus  
fidei potenter.*

Ephes. 3. *Det vobis Dominus ut fortiter corroboreret  
mini per Spiritum suum in interiore homine  
ut inhabitet Christus per fidem in cordibus  
vestris, &c. Quin & ipsa manducationis  
Analogia sati s id perspicuum facit. Nō e-  
nīm cibus iniicitur in os cadaueris; sed  
potius homines vita prædicti cibum su-  
munt, quo ipsorum vita sustentetur.  
Ex quo fit, ut quā semel tātūm sacro  
Baptismo iniciemur, sepe Cœnā Domi-  
ni celebremus: ut intelligamus, vitā il-*  
*lam*

lam spiritualem, in quā Deus nōs regenerauit suo Spiritu, esse in nobis identē eibis illis spiritualibus sustentandam. Quamobrem hic Aduersarium error, est ~~ψόδος εργάνων~~ in Theologia longè maximum, quippe quum tollat fidei ac pietatis incrementum: neque discriben adhibeat inter initium & progressus. Proferamus igitur incommodum superioris Objectionis.

Si audienda est superior obiectio: ergo damnandus est Petrus: qui Corin-  
nium & eius familiares baptizauit,  
fide & donis Spiritus Sancti perfusos.  
Damnādus itidem Philippus, qui Eu-  
nuchum extoto corde credentem ba-  
ptizauit: ne sexcenta eiusmodi incom-  
moda nobis recensenda sint.

Act. 10.

Act. 8.

## OBIECTIO. IX.

**F**ides est Cōceptio & Imaginatio rei absentis. Ergo fidei nihil verē præ-  
sens esse potest, quod situ loci absēs sit;

h. ij.

sed erit tantum præsens in imagine: & vi  
Consequentis, Corpus Christi non  
est fidei nostræ verè præsens in Cœ-  
na, sed tantum est præsens per imagi-  
nationem.

## RESPONSIO.

**A**bſurdum argumentum, ac planè  
ſed & dignum iis qui Theolo-  
giam ne summis quidem labris degu-  
ſtarunt. Nam h̄ic de fide loquimur, quæ  
promissiones Evangelicas in Christo,  
atc̄oquæ Christum ipsum amplectitur.  
Porro iam ſuprā redarguimus iſtud ge-  
nus conneſtendi. Non est Corporali-  
ter præſens, nō eſt igitur verè præſens.  
Quandoquidem ut corporalis præſen-  
tia verè dicitur, ita verè dicitur ſpiri-  
tualis præſentia: quemadmodum iam  
oſtendimus: neque h̄ic videtur eſſe re-  
petendum. Fidem autem agnoſci-  
mus non eſſe ſine cogitatione & af-  
ſenſu: ſed fidem eſſe plusquam huma-  
nam cogitationem & plusquam huma-  
num aſſenſum affirmamus. Itaq; quū  
ita

ita nobis describunt fidē, vt sit tantūm  
mentis conceptio & imaginatio, certè  
errores erroribus cumulant. Quamob-  
tē satis fuerit absurdā inde consequen-  
tia digito commonstrare. Nam crassos  
cuiusmodi errores indicare, refutare est,

1. Si fides est tantūm imaginatio: ex-  
go fides non differt ab opinione.

2. Fides Christianorum erit tantūm  
historica fides, communis cum pleris-  
que reprobis, ac ne ipsiis dēmonibus in-  
cognita, vt docet Iacobus.

3. Fides Christianorū non erit  $\pi\lambda\nu-$   
 $\rho\phi\pi\alpha$ , cui cum sola imaginatione ni-  
hil commune esse potest.

4. Fides Christianorum non erit fi-  
ducia &  $\pi\tau\pi\omega\theta\mu\sigma\iota\zeta$ , à qua imaginatio  
distat longissimo intervallo.

5. Fides Christianorum non erit do-  
num Dei  $\varphi\phi\omega\mu\sigma\sigma\sigma\sigma$ . Nam imaginatio  
& mentis conceptus est homini natu-  
ralis.

6. Fides non ob-signabitur à Deo in  
animis nostris per Spiritum Regenera-  
tionis. Nam res externæ ingerunt ima-  
ginationem.

Iac. 2.

7 Non crederetur corde ad Iustitiam,  
sed crederetur φαντασίᾳ ad opinionem.

8 Ac ne plura quae sunt innumerabilia consequemur: Si pro fide substituatur imaginatio, certe nulla erit pīj & hypocritæ, nulla electi & reprobi, nulla certitudinis & dubitationis, nulla denique veri & falsi differentia: quae omnia qui exæquant, illerum diuinarum, humanarumque luce propemodum extincta, noctem perpetuam rebus omnibus inducunt. Huc errori omnium etatissimo opponamus ea quae Scriptura tradit de efficacitate & ἐργειᾳ Spiritus Sancti: cum qua somnium istud de Imaginatione stare non potest. Ergo in hoc mysterio de quo agimus tres potissimum gradus ex ipsa Scriptura considerari solent. Primum, Spiritus Sanctus generat in nobis fidem secundum efficacem eius potentiam, inquit Paulus: κατὰ τὴν ἐργειαν. Deinde idem Spiritus nos cum Christo arctissime coniunctus.

coniungit, secundum potentiam efficaciter in nobis agentem inquit Paulus: *κατὰ τὸν διωκόνον τὸν ἐπέγειρν.* Denique nos reddit beneficiorum Christi participes, ex vi intus agente inquit Paulus *κατ’ ἐπέγειραν.* Videmus igitur hæc omnia referri ad Diuinam efficaciam, ne quis in humana & naturali cogitatione, &c, ut isti loquuntur, Imaginatione subsistat. Iam quū illi ex sua illa Imaginari a fide quam sibi cogitatione depinxerunt, ita concludunt: Rem situ loci absentem, non posse verè præsentem esse fidei: hoc etiam subiecto incommodo sic refellamus. Si locorum interualla obstant fidei quominus res locis dissitas possit spiritualiter præsentes habere: Ergo temporum quoque spatiis fides interclusa, neque res præteritas, neque futuras spiritualiter præsentes habebit. *Ἄδυτον οὐ.* Sic enim, fides non erit fides: siquidem Apostolo credimus fidem nobis describēti his verbis.

Ephes.3.

Ephes.4.

Heb.ii.

h. iiiij.

ſperantur, & quod demonstrat que non vi-  
dentur. Fides igitur habet res sibi spi-  
ritualiter præsentes.

*Gal. 3.* Fides effecit ut inter Galatas Christus  
effet depictus ob eorū oculos crucifixus. Ergo  
fides res spiritualiter præsentes facit.

*Ioan. 8.* Abrahamus vidit diem Christi & ga-  
uisus est.

*Heb. 11.* Patriarchæ promissa Euāgelica sunt  
eminus conspicati & amplexi credentes  
& Moses intuebatur in premij largitionem.  
Ergo promissa fuerunt illis per fidem  
spiritualiter præfentia.

*Phil. 3.* Fideles etiam dum in terris agētes,  
habent suum πολίτευμα in cœlo. Sunt igitur  
in cœlo per fidem spiritualiter præsen-  
tes.

*Ephes. 1.* Paulus precatur ut Ephesij illumina-  
tis oculis mentis suæ scirent magis ac magis  
que sit ſpes vocationis Dei: & que opes gloria  
hereditatis ipsius.

*Ioan. 5.* Fideles transferunt à morte ad vitam: &  
*Heb. 4.* in requiem Dei ingressi sunt. Denique fu-  
turam Resurrectionem & vitam æter-  
nam certissima fide contemplamur at-  
que apprehendimus, & nostram iā esse  
credimus,

credimus, eaque spe & fide gloriamur,  
inquit Paulus: & sustētamur in mediis  
huius vitæ procellis: quod quidē præ-  
stat Apostoli verbis quām nostris ex-  
plicare.

Rom. 5.

*Validam consolationem habeamus, nos qui  
cursum eò corripiimus, ut spem propositam  
retineamus: quam velut animæ anchoram ha-  
bemus tutam ac firmam & ingredientem us-  
que in ea quæ sunt intra velum: quò præcursor  
pro nobis ingressus est Iesus secundum ordinē  
Melchisedec: Pontifex factus in aeternum.  
Hęc Apostolus.*

Heb. 6.

Eos igitur pudeat, qui fidem à Spi-  
ritu Dei in animis piorum ingenitam, ul-  
lis vel locorum, vel temporum spatiis  
circunscribunt. Cæterū, quia in hūc  
errorem delapsi sunt, quòd vim ipsius  
Fidei penitus ignorarint: quædam ad-  
demus, ex quibus vera fidei natura, vis  
& præstantia melius intelligi possit.  
Fides est donum Dei, & generatur in  
animis nostris per Spiritum Sanctū il-  
luminantem oculos mentis nostræ, &  
in nostris cordibus obsignantem pro-  
missiones Dei in Iesu Christo, in quo

vno fides ipsa defixa est. Neq; fides est  
humanum opus: sed opus Dei suā po-  
testatē, virtutēmque ineffabilē exerētus.

Ephes. 1. Sic enim Paulus: *Quām fit excelle s. ma-*  
*gnitudo potentiae eius in nobis qui credimus*  
*pro efficacitate fortis roboris ipsius. neq;*  
*tuū evēp. eicav. tū spātia tūc iżbōc aut. m-*  
*quit. Fide reconciliamur Deo, coniun-*  
*gimur cū Deo, purificamur, iustifica-  
mūr, sanctificamur, vivificamur, glori-  
ficamur. Atque omnino, fide Deum  
videmus, fide tangimus, fide ample-  
stimus: & in uno Iesu Christo *Oecu-*  
*đ pārt w vero Deo ac vero homine cō-*  
*quiescimus. Quæ quidē omnia lucent*  
*claris, expreſſisque Scripturæ testi-*  
*moniſſ: adeò ut qui hæc de vera Chri-*  
*ſtianorum fide non credat, ille Chri-*  
*ſtianæ fidei planè expers iudicandus*  
*ſit. Qamobrem merito ſuo com-*  
*mendantur Maiores nostri, qui pra-*  
*claris ſententiis nos ad præſtantiam*  
*fidei contemplandam, & ad fructus*  
*eius vberimos percipiendos, ſunt ad-*  
*hortati. Sic enim Cyprianus. Tantum*  
*poſſumus, quantum credimus, inquit.**

Aduers.  
Iud. l. 3. c. 4.  
z.

Et

Et Ambrosius, crediderunt homines, De Vocat.  
inquit, quia Deus in iis operatus est, 8. Gent. l. i. c.

ut crederent. Nos Christum in cœlo sedentem manu contrectare non possumus, sed Christum fide continere possumus, inquit Augustinus. In Episto. Ioan. Tr. 1. Idem. Si vides non est fides, Item. In Ioā. Tr. que: Animæ tuæ anima fides est. I. 68. & 49. dem, tangit Christum qui credit in Temp. 152. Christum. Item: fidem tenet certis. De Trin.: 13. c. i. sima scientia, & clamat conscientia. In Apoc. Item: Gressibus fidei in altum ascendimus. hom. 3. Idem: Fides bonorum omnium fundamentum: porta vitæ, ianuare regni. Item: fides habet oculos De Temp. Serm. 38. & Serm. 63. Epist. 85.

suos quibus quodammodo videt ve- De iis qui rum esse quod nondum videt, &c. myst. init. Cui assentiens Ambrosius, magis vi- In Psal. 26. detur, inquit, quod non videtur. Et, Hieronymus, sicut oculi corporis il- In Epist. ad laminantur ab alia luce: sic oculi cor- Rom. hom. 8. dis illuminantur à virtute fidei. Sic In Gen. ho- denique Chrysostomus: fides, inquit, mil. 28. est certior quibusuis demonstrationi- Homil. de bus. Item: fidei oculi acutè vident, & fide Annæ. In illo Psal. à nulla re visibili decipi possunt. Item: 115. Credi- di.

fide nihil potentius. Item fides est scala à terra in cælum & consumilia plenaque. Ex quibus omnibus facile colligitur istius Obiectionis de imaginatione fidei refutatio: adeò ut ad hanc rem minimè opus esse videatur longiori disputatione. Quia verò solent Aduersarij nonnulla ex Patrum scriptis decerpere quæ suæ sententiæ praetexent, eos etiā hac in parte audiamus.

## CAPIT. V.

**S**olent Veteres, quum de Cœna Domini loquuntur, usurpare passim hæc vocabula, figura, signū, <sup>antitutor</sup> memoria, Commemoratio, & quæ eodem referuntur: quippe, qui nitantur his Apostoli verbis: Mortem Domini annuntiatis, donec veniat.: & Christus: In memoria mei facietis, inquit. Quinetiam exponunt ipsam mādocationem Corporis Christi de fide: ita ut nihil sit aliud, Manducare Carnē Christi, & Bibere eius Sanguinē, quam, credere

1 Cor. 11.  
Matth. 26.

dere in Christū. Quare in S. Cœna non  
est vera communio Corporis Christi,  
sed in ea nobis tantum eius beneficia  
proponuntur.

## RESPONSI.

**F**allit Cōsequens propter vitia Anteecedentis. Error *ωαεγ' τινῶν οὐαὶ τῆς ἔχου*. Nam (ut omittamus, fidem nostram humana auctoritate non nisi) scripta Veterum in alienum sensum detorquent. Veteres enim Sacra symbola nobis in Cœna Domini proposita solent quidem appellare signa, sed nō ita ut signa nuda sint, quemadmodum isti autumant. Alioqui Cœna Domini non esset Sacramentum quandoquidem satis constat in Theologia, Sacramentum constare duabus rebus, signo, videlicet, & re significata. Quod etiam perspicuum est ex ipsius signi natura, & ex doctrina Relatorum. Itaque rectè censuit Irenæus Eucharistiam Lib. 4. c. 34. duabus rebus constare, terrena & cœlesti. Præterea obseruandum est, Sacra

illa symbola, non tantum esse Signa  
verùmetiam Sigilla( quemadmodum  
Rom.4. Paulus de Circuncisione loquutus est  
quum eam vocat σημεῖον, & σφραγί-  
δα ) adeò ut non sit in ipsis signis  
subsistendum , sed deueniendum po-  
tius ad res eas quæ Sacris symbolis  
& significantur & obsignantur. Iam  
autem ex superiori disputatione spe-  
ro confectum esse , in Sacra Domi-  
ni Cœna nobis proponi spiritualem  
& arctissimam coniunctionem Chri-  
sti nobiscum, ac proinde spiritualem  
& mysticam communionem Carnis  
& Sanguinis ipsius. Cuius rei quum Sa-  
cra symbola sint signa, sigillaque, uti  
diximus: consequitur, profectò, voca-  
bula illa apud Veteres usurpata cōfir-  
mare nostrā sententiam, nedū possint  
eam labefactare. Sic igitur argumentū  
in Aduersarios retorqueamus.

Si Sacra symbola quæ nobis in S.  
Cœna proponuntur sunt figuræ, signa  
& avtotype Corporis & Sanguinis Ie-  
su Christi & spiritualis, mysticæ & ar-  
ctissimæ coniunctionis quæ per fidem  
nobis

nobis cum ipso Christo intercedit: (vt  
Veffes tradiderūt:) Ergo, qui cum fi-  
de S. Domini Coenā, ex ipsius Institu-  
to celebrant, spiritualiter & arctissi-  
mè cum Corpore & Sanguine Iesu  
Christi, adeoque cum ipso Christo  
conveguntur, eiusque spiritualiter per  
fidem participes sunt: idque ex ipsis  
Veterum sententia.

Idem dicimus de Memoria & Com-  
memoratione, quibus vocabulis vtū-  
tue Veteres, non ad imminuendam,  
sed ad amplificandam huiuscemy-  
sterij dignitatem. Absit enim vt sit  
nuda quadam & tantum historica cō-  
memoratio: sed ille simul nobis offer-  
tur, cuius Mors & Passio cōmemora-  
tur. Nā Christus nō cōmemoratur mor-  
tuus simpliciter, sed mortuus pro no-  
bis, adeoque pro iis omnibus qui vera fi-  
de beneficium hoc oblatū percipiunt.

Atque id ex ipsius Christi verbis  
intelligi potest. *Hoc est, inquit, Corpus  
meum quod pro vobis datur. Hoc faci-  
te in mei recordationem.* Et Paulus,  
ad cruciatum Corporis alludens:

Luc. 22.

1. Cor. ii.

*Corpus quod pro vobis frangitur, inquit.  
At qui tunc demum percipimus fru-  
ctum Mortis ac Passionis Christi, quū  
ipsum Christum possidemus, & cum  
eo arctissimè coniungimur: quemad-  
modum superiora nostra argumēta ex  
clarissimis certissimisque Scripturæ lo-  
cīs de prompta, ac proinde omni exce-  
ptione maiora, confecerunt. Et certè  
Paulus docet tunc demum nos esse*

*Mortis Christi participes, quando, cum  
eo plantatis (inquit) co aluimus conformatio-*

*Mortis eius. Item: Qui proprio filio non pe-  
percit sed pro nobis omnibus tradidit eum,  
quomodo non etiam cum eo omnia nobis gra-  
tificabitur? Ergo Christus pro nobis  
mortuus est, ut nobis detur cum om-  
nibus suis beneficiis: quò sit, ut in com-  
memoratione Mortis Christi in Cœ-  
na Domini, adhibitis Sacris symbolis  
& sigillis, non solum Christi beneficia  
(ut isti volunt) sed Christus ipse cum  
suis beneficiis nobis detur. Itaque, idē  
Apostolus, posteaquam dixit Christū  
fuisse pro nobis mortuum & à mortuis  
excitatum, subiicit: Quis nos separabit à  
charitate*

Ibid.

charitate Christi? Eoq; spectat quod ipse docet, Ecclesiam in Corpore Christi esse cum ipso Christo sposo, coniugio spirituali, coniunctam. Et alibi, Si unus pro omnibus mortuus est, certè omnes mortui sunt: Et pro omnibus mortuus est, ut qui viuunt post hac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit, &c. Si quis igitur est in Christo, noua creatura est. Et alio in loco: Vnacum Christo crucifixus sum: viuo autem, non amplius ego, sed viuit in me Christus, & vitam quam nunc vivo in carne, viuo per fidem Filij Dei, qui dilexit me & tradidit semet ipsum pro me: Item: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo, & Petrus: Peccata nostra portauit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitia & viueremus. Sed nihil videtur expressius his Pauli verbis: Christus mortuus est pro nobis, ut siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum eo viuamus. Ecce tibi quo solum fiat Cominoratio Mortis Christi in S. Cœna, nempe ut intelligamus, tunc demum Mortem Christi nobis proficere, si cum ipso fuerimus aetissimo vinculo coniuncti.

Rom. 7.

2. Cor. 5.

Gal. 1.

Gal. 2.

Colos. 3.

1. Petr. 4.

1. Thes. 5.

Iam quod apud Veteres aliquando scriptū reperias, Māducare Christum, esse, Credere in Christum. Nō parādos dētes, nec ventrē:nā, si credimus, māducaūimus. Itē: Iudæos, credēdo, bibis-  
se Sanguinē quem sāuiendo fuderant,  
& quæ sunt eiusmodi: illa quidē verif-  
simē dicūtur. Ex his enim datur intel-  
ligi, mādicationē Corporis Christi es-  
se Spiritualem, & fieri fide, ne quis for-  
tē hoc errore ducatur, vt existimet, in  
hoc mysterio agi de crassa & corporali  
mādicatione, qui fuit error Capernaū-  
tarū. Modū igitur huiuscē mādicationis  
Veteres nobis proponūt, neq; pro-  
pterea tollūt eius definitionem & for-  
mā. Est igitur error nō ferēdus, quū pu-  
tant, posito rei modo, instrumēto, & ra-  
tionē, tolli propterea formā. Quod lō-  
gē fecūs est. Sic enim potius fuit ad ip-  
sius formæ cognitionē perueniēdum.  
Itaq; ego Theologicē quidem dixero:  
Crede, & remissa sunt tibi peccata, nec  
propterea sequetur, Remissionē pec-  
catorū nihil esse præter fidē. Enim uero  
quū isti toties inculcāt verbū istud Au-  
gustini:

gustini. Crede, & manducasti. Obsecra te, quid debui credere ut manducae-  
rim? Anno, credere Christum pro me  
passum & à mortuis excitatum fuisse, ut  
verè cū ipso spiritualiter cōunctus be-  
neficiorū ipsius sim particeps? Nihil  
igitur isti afferunt ex Veteribus quod  
noster lēdat sententiā, quū potius eam  
egregiē cōfirment. Quod ut magis fiat  
manifestum, iam audiamus ipsos Ve-  
teres suis verbis suā explicantes, & no-  
stram confirmantes sententiam.

## CAPUT VI.

**D**Anem nostrum, id est, Chri-  
stū dari nobis quotidie pe-  
timus, ut qui in Christo ma-  
nemus & viuimus, à san-  
ctificatione eius & Corpore non rece-  
damus.

Manifestum est eos viuere qui Cor- ibidem.  
pus Christi attingunt, & Eucharistiam  
iure communicationis accipiunt.

**I**Dixerat sanè huius traditionis Mini- Id ē de Cœ-  
ster quod nisi māducaremus eius Car-  
nem & biberemus eius Sanguinem nō  
haberemus vitam in nobis: spirituali-

nos instruens documento & aperiens  
ad rem adeo abditam intellectum,  
ut sciremus quod maius nostra in ipso,  
sit manducatio, & potus quasi quadam  
incorporatio, subiectis obsequiis, vo-  
luntatibus iunctis, affectibus unitis. E-  
sus igitur Carnis huius, quadam audi-  
tas est & quoddam desiderium man-  
di in ipso, per quod sic imprimimus &  
eliquamus in nobis dulcedine chari-  
tatis, ut haereat palato nostro & visce-  
ribus sapor dilectionis infusus, pene-  
trans & imbuens omnes animæ cor-  
porisque recessus. Potus & esus ad ea-  
dem pertinent rationem, quibus sicut  
corporea nutritur substantia & viuit,  
& in columnis perseverat: ita vita spiri-  
tus hoc proprio alimento nutritur: &  
quod est esca carni, hoc animæ est fi-  
des: quod cibus corpori, hoc verbum  
Spiritui: excellentiori virtute peragens  
eternaliter, quod agunt alimenta car-  
nalia temporaliter & finaliter, &c.

Ibidem. Nos ipsi Corpus Christi effecti, Sa-  
cramento & re Sacramenti Capiti no-  
stro conectimur & unimur: singuli al-  
ter alterius membra eundem cibum

manducantes & cundem potū bibentes, qui de petra spirituali profluit & emanat, qui cibus & potus est Dominus noster Iesus Christus.

Fiant Corpus Christi si volant viue-  
re de Spiritu Christi, de quo non viuit  
nisi Corpus Christi, &c. Qui vult viue-  
re habet ubi viuat, habet unde viuat:  
Accedat, credat, incorpotetur ut viui-  
ficitur, &c. Viuat Deo de Deo, &c.

Hoc est manducare illam escam & Idē in Ioā.  
illum bibere potum, in Christo mane- Tract. 27.  
re, & illum manentem in se habere, ac  
per hoc qui nō manet in Christo, & in  
quo non manet Christus, proculdubio  
nec māducatur spiritualiter Carnē eius,  
nec bibit eius Sāguinē, licet carnaliter  
& visibiliter premat dentibus Sacra-  
mētum Corporis & Sanguinis Christi.

Dominus nobis commendauit in  
mādicatione Carnis suæ ut in illo ma-  
neamus & ipse in nobis. Manemus au-  
tem in illo quum sumus membra eius:  
manet autem ipse in nobis quū sumus  
templum eius: ut autem sumus mēbra  
eius, vñitas nos compaginat, ut com-

paginet vñitas, quæ facit nisi charitas  
quæ diffusa est in cordibus nostris per  
Spiritum Sanctum qui datus est nobis?  
Spiritus non vegetat membra nisi que  
sunt in corpore.

**Idē de verbo D.Ser. 28.** Non iste panis qui vadit in corpus,  
sed ille Panis vitæ æternæ qui animæ  
nostræ substantiam fulcit.

**De ver. Ap. Ser. 2.** Tunc vita vnicuique erit Corpus &  
Sanguis Christi, si quod in Sacramento  
visibiliter sumitur, in ipsa veritate spi-  
ritualiter māducetur, spiritualiter bi-  
batur.

**Aug. de Ci-  
uit. Dei. I.  
xi.c.25.** Dicens: Qui manducat Carnē meā  
& in me manet, &c. ostendit quid sit  
non Sacramēto tenus, sed re vera Cor-  
pus Christi manducare, & eius Sanguī-  
nem bibere, hoc est enim in Christo  
manere, ut in illo maneat & Chri-  
stus: tanquā diceret, Qui nō in me ma-  
net, & in quo ego non maneo, non se-  
dicat aut existimet māducare Corpus  
meum, aut bibere meum Sanguinem.

**Idem in  
p. 98.** Sacramētu aliquod cōmēdaui vobis,  
spiritualiter intellectū viuficabit vos.  
**Aug. Ser.** Sacramētum illud ideo hominibus  
datur

datur, ut corpus in terris capiti coadu-  
netur. Sicut enim multa grana vnū pa-  
nē cōficiunt, & ex multis racemis vnū  
vinum extrahitur, sic ex multis homi-  
nibus Christi Corpus conficitur.

Ascēdit in cœlū Corpus Christi, &c. Idem in  
Respondeat aliquis, quomodo tenebo <sup>Ioā. Tr. 50.</sup>  
absentē? quomodo in cœlum manum  
mittam ut ibi sedētem teneam? fidem  
mitte, & tenuisti: parentes tui tenue-  
runt carne, tu teneto corde.

Spiritus est qui viuificat caro nihil <sup>Tertul. de Refur. car- nis.</sup>  
prodest ad viuificantū, scilicet: sermo-  
nē cōstituens viuificatorē: cundē etiam  
Carnē suā dixit, quia sermo factus erat  
caro; proinde in causam vitæ appeten-  
dus, & deuorandus auditu, & ruminā-  
dus intellectu, & fide digerendus.

Caro Christi hodie nobis sed spiri-  
tualiter vtique non corporaliter exhi-  
betur. Christus manducat nos, & man-  
ducatur à nobis, quò illi astringamur  
& vniāmūr. Nam si manduco & non  
manducor, videbitur ille esse in me, sed  
ego nondum in illo, &c. Anima  
non antè existimet ipsi se perfectè  
i. iiiij

vnitam, nisi quum & illum in se, & se  
in illo manentem persenserit.

Hieron. ho-  
mil. de Cor-  
po. & Ság.  
Christi.

Quum reverendo altari cœlestibus  
cibis satiandus accedis, Sacrū Dei tui  
Corpus & Sanguinem mente contin-  
ge, cordis manu suscipe, & maximè  
haustū interiori assume.

Ambros.  
de iis qui  
myst. init.  
c. 3.

Ista esca quam accipis est Panis vi-  
vus qui descendit de cœlo, vitæ æter-  
næ substantiam subministrat, & quicū-  
que hunc manducauerit, non morie-

Cyrillus de tur in æternum: & est Corpus Christi.  
Trinit. l. 6. Idē in loz. lib. 4.

Postquam Christus ascendit ad Pa-  
trem, in nobis est per Spiritum. Itē: ego  
ressuscitabo eum, &c. Ego, inquit, hoc  
est corpus meum quod comedetur.

Amb. vbi  
sup. c. 9.

Caro Christi est Corpus vitæ, &c. In  
illo Sacramēto Christus est quia Cor-  
pus est Christi, nō ergo corporalis e-  
sca sed spiritualis est, &c. Cor nostrum  
esca ista confirmat, & potus iste lætifi-  
cat cor hominis.

Idē de Sa-  
cra. l. 5. c. 2.

Quotiescumque bibis, remissionem  
accipis

accipis peccatorū, & inebriaris Spiritu. Qui autem Spiritu inebriatur, radicatus in Christo est.

In similitudine quidem accipis Sa- ibid. lib. 6.  
c. 1.  
cramentum, sed veræ naturæ gratiam  
virtutemque consequeris. Ego sum,  
inquit, Panis viuus qui de cœlo de-  
scendi.

Dominus noster Iesu Christus con- Idem.  
fors est & Diuinitatis & Corporis, &  
tu qui accipis eius Carnem, Diuinæ e-  
ius substantiæ in illo participaris ele-  
mento.

Cogita quali sis insignitus honore, Chrys. ad  
pop. Ant.  
hom. 60.  
quali mensa fruaris, Quod Angeli vi-  
deentes horrescunt, neque liberè audet  
intueri propter emicantem inde splen-  
dorem, hoc nos pascimur, huic nos v-  
nimur & facti sumus vnū Christi Cor-  
pus & vna Caro, &c. Ipse nos proprio  
Sanguine pascit, & per omnia nos sibi  
coagmentat, &c. Vnicuique fidelium  
semetipsum per mysterium cōmiscet,  
& quos genuit per semetipsum enu-  
trit, &c. Ut infantes labia vberibus insi-  
gñit, ita nos ex vberibus spiritualis po-

culi trahimus Spiritus Sancti gratiam.

Hom. 61.

Christus semetipsum nobis immiscuit, & Corpus suū in nos contéperauit, vt vnum quid efficiamur tanquam Corpus capiti coaptatū. Ardēter enim amantiū hoc est. Job 31. quis dederit nobis de carnibus eius impleri?

Homil. 60. Intellectualibus oculis ipsum intuca mur, &c. Nihil sensibile nobis Christus tradidit, &c. Res quidem sensibles, omnes autem intelligibiles. In Baptismate Res sensibilis, aqua: Res intelligibilis, Regeneratio, &c. quoniam anima Corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia præbet. Non fidentum, sed etiam re ipsa nos suum efficit Corpus.

Idem hom. Spiritus Sanctus corda nostra Christo cōglutinat. Copula est Unionis nostræ in Christo, &c. Cor trāsfert à terrenis ad cœlestia, facit animam ad Deum volare.

Ibidem. Vniūtut Petrus & Paulus, quia fides omnes sunt συγχωνοι' quāuis sint procul dissiti: quia utriusq; vno est cū Christo. Itaque multò magis vniuntur cum

cum Christo: quamuis Christi Corpus  
sit in cœlo & ipsi in terra. Et multa a-  
lia eiusmodi apud Veteres occurrunt.  
Quāquam autem in Veterum scriptis  
nonnulla fortassis occurrunt quæ du-  
tiuscula & *περὶ ιαπέλων* dicta videri  
possint, tamen quid antiquitas sense-  
rit de hoc mysterio, colligendum est,  
nō ex aliquot vocabulis, sed ex eo sen-  
su, eaque sententia in qua Veteres  
præstantiores constanter & aperte cō-  
sentient.

Supereft ut ex ratione nostræ Me-  
thodi *περὶ τοῦ ψεύδος* Aduersariorū &  
fontes errorum in quibus versantur,  
indicemus: quos hac nostra Disputa-  
tione obstructos esse confidimus. Atq;  
ut paucis rem totam comprehendenda-  
mus, quemadmodū suprà docuimus  
nostram *πόδειξην* esse consentaneā iis  
quę Scriptura tradit de Christo, de Ec-  
clesia, de Spiritu Sancto, de Fide, de Sa-  
cramēto Cœnæ Domini. Ita possumus  
affirmare, Aduersariorū errores hinc  
manare, quod in iis ipsis quinque, iis-  
dēmq; præcipuis doctrinæ Christianæ

capitibus, à Scriptura dissentiant.

1 Etenim nullā nobis cū ipso Christi Corpore intercedere posse cōiunctiōnē existimant nisi Corporalē, neque agnoscunt, hanc cum Christi Carnē & Sanguine, adeoque cum ipso Christo communionem esse ~~in corporis~~ & supernaturalem. Deinde de Christi Corpore ita loquuntur ut si in hoc myste-

rio seorsum intelligendum esset, non solum à Diuina natura, sed etiam ab anima humana, qua Christus verus homo prædictus est.

2 Non satis norunt quid sit Ecclesia: nempe Corpus Christi: ac proinde cum ipso Christo, Θεον Ιησον τον vero Deo & vero homine mysticè & arctissimè coniuncta.

3 Spiritus Sancti efficaciam in hoc mysterio non intelligunt, sed subsistunt intra cancellos humānæ & naturalis facultatis: nec intelligunt quid sit mystica & spiritualis coniunctio.

4 Fidei vim & naturam planè euerunt: quandoquidem eam cum Imaginatione & mentis conceptu atq; comprehen-

prehensione confundunt, eamque locorum spatius intercludunt. Nos enim in hoc mysterio nomine fidei non intelligimus Fidem tantum historicam, sed eam quæ amplectitur promissiones Euangelicas in Christo easque sibi applicat ad salutem; ipsumque Christum cum suis beneficiis verè apprehendit.

¶ Sacramenti neque naturam neque usum tenent, quippe quum signa propemodum inutilia cōstituant: quū tamen Augustinus verè dixerit: Signa De Doctr.  
Christi, 13.  
c. 9.  
Sacra inutiliter interpretari, esse male vagantis erroris. Porro, res significatas non eas retinent quas Christus proposuit: sed pro ipso Corpore & Sanguine, cuius panis & vinum signa sunt, beneficia Mortis Christi substituunt. Quos quidem errores & plerisque alios cōsimiles certissimis Scripturæ testimoniis refutatos, & incommodis longè grauissimis à nobis profligatos esse confidimus.

Quæ quū ita sint, & ea quæ diximus clarissimè luceant in Scriptura, eaque sint cum fidei Christianæ capitibus


αὐλογία & Consentanea: quæ verò ab  
Aduersariis afferuntur, à Scriptura &  
ab ipsis Orthodoxæ fidei capitibus  
dissentiant, & secum multos eosdém-  
que grauissimos errores inuehant: ma-  
neat nostra, hoc est, Orthodoxa ac ve-  
rè Christiana sententia iphus veritatis  
firmissimo fundamento subnixa; nēpe:

Omnes verè Christianos Cœnæ Do-  
mini ex ipsius Instituto communican-  
tes, manducare Corpus & bibere San-  
guinem Iesu Christi, spiritualiter, effi-  
citate Sancti Spiritus, per fidem ex  
Sacris symbolis verbum Dei obsigna-  
tibus, magis magisque confirmatam,  
& esse illius Corporis & Sanguinis a-  
deoque ipsius Christi Θεανθρωπ<sup>is</sup> verè  
participes, ac proinde eorū omnium  
bonorum quæ Christus sua Morte &  
Obedientiâ nobis comparauit ad vi-  
tam æternam, animique & Corporis  
cumulatissimā felicitatē assequēdam.  
Faxit Æternus ille Pater ut Spiritu  
Sancto in animis nostris operante, &  
eius radiis accēsa in nobis fide, discus-  
sis

sis errorum omnium tenebris, purissi-  
mam huiuscē Sanctissimi Mysterij lu-  
cēm intueri, & arctissimam cum Do-  
mino nostro Iesu Christo, vero Deo &  
vero Homine, vero illo Pane viuifico  
communionem: ac proinde, vitā  
felicissimam & æternam  
habeamus.

Amen.

L A V S D E O .



A 2307883

CORPORIS CHRISTI.

Eratata sic erunt corrigenda:

Pag. 82. lin. 20. pro sit, lege fit.

P. 83. 5. pro liqui,quis.

P. 87. l. 10. Ex.

P. 97. l. 9. pro sic, lege Sanctum.

P. 98. l. 10. expatim.

P. 111. l. 18. semper.

P. 124. l. 10. prætexant.

TUAS DEO.



OCH 1280 302 126